XXXI. 4. 17
P. 6.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITT. EMANUELE



BUCHNERI in labris Romana atq; Attica Peitho
Fixerat Auguſtos magnificosq; lares;
Isq; vel ex sola poterat tibi fronte videri
Virbius Arpinas, Virbius Iſocrates.
Sed nunc ille jacet, Peitho jacet utraq; fallor.
Utraq; in aureolis ſtatq; vigetq; libris.

f. Lipſiæ
L. Joachimus Fellerus Pöeſ. P.P.
et Acad. Bibliothecarius.

CL. VIRI

AUGUSTI BUCHNERI
EPISTOLÆ,

Opus poſthumum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EDITIO QVARTA,

melior & correctior.

CUM PRIVILEGIO ELECTORIS SAXONIÆ.

DRESDÆ,
Sumtibus MARTINI-GABRIELIS HÜBNERI
Typis JOH. CONRADI RÜGERI.
M DC XCVII.

Christopher Anthon
Siegmart Kunc sibi com
paravit librum

Google

PERILLUSTRI ET GENEROSISSIMO DOMINO,
DOMINO

HENRICO

LIB. BARONI à FRISEN,
DYNASTÆ IN PUZKA, SCHöNFELT, GRAUPA ET JESSEN, &c.

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ CONSILII INTIMIORIS PRÆSIDI ET COMITI,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO.

NEC

Digitized by Google

NEC NON
*PERILLUSTRI ET GENE-
ROSISSIMO DOMINO,*
DOMINO

NICOLAO
LIB. BARONI, ET S. R.

IMPERII BANNERESIO
à GERSDORFF,

DYNASTÆ IN BARUTH, BRE-
TING, HAUSWALDA ET
RACKEL, &c.

SERENISSIMI AC POTENTIS-
SIMI ELECTORIS SAXONIÆ CON-
SILIARIO INTIMO ET
COMITI,

*DOMINO MEO GRATIO-
SISSIMO.*

UT

UT ET

ILLUSTRI AC GENEROSO DOMINO,

DOMINO

JOHANNI DAVIDI ab OPPEL,

DYNASTÆ IN LAMPERSWALDA, MüHLBACH, SUPER. ET INFER. LICHTENAU. &c.

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS SAXONIÆ PROCANCELLARIO ET COMITI,

MÆCENATI MEO

SUSPICIENDO,

SALUTEM ET OBSERVANTIAM.

Æqvum

ÆQvum piumqve erat, & jus ipſum qvodammodo poſtulare videbatur, ut qvæ à vobis promanarunt, eò, unde venerunt, curſum ſuum iterum reflecterent. Nam ſi pulchrum putaſtis, non penitus occidere pati, qvibus æternitas debetur; par erat, ut cujus inſtituti principes fuiſtis, qvi eſt amor veſter in has literas, hac conditione ratio ad poſteritatis memoriam proderetur. Magnum id erat, Epiſtolas BUCHNERI, qvæ nomen veſtrum præferebant, tam diligenter, tamqve ſanctè à vobis cuſtoditas: majus adhuc, de alienis qvoqve ſolicitos vos fuiſſe, non alia de cauſſa, qvam ut hâc venuſtate animi curas diſcuteretis: maximum autem illud, qvod alios deliciarum iſtarum compotes participesqve facere non abnuiſtis. Qvod ſi mortuos etiamnum ſenſus qvidam humanarum rerum afficeret, gratulaturi magnopere ſibi forent de illuſtribus his Patronis Buchneri manes, ut qvi amicitiam olim initam etiam poſt fata in exemplum, ſicut facitis, tueamini, famæqve ejus egregii propagatores exiſtatis. Ubi proinde mallet Buchnerus delitéſcere, qvàm in ſi-

nu

:orum, ad qvorum clientelam & ami-
as olim hæc, qvaliacunqve ſint, perti-
:re? Ubi potius ageret, qvam apud
, à qvibus poſt mortem vitam qvaſi
ipere videatur? Suſcipite itaqve hunc
trum, qvi ne nunc qvidem veſter eſſe
rectat, & locum alicubi ei aſſignare;
re otium vobis aliqvando contigerit,
amiliare colloqvium admittite. Erit
& vobis, non ſecus ac olim, voluptati
qveat. Hanc gratiam ſi feceritis ei,
iil eſt qvod audeat amplius optare,
:qve ego, ſi hoc impetrem à vobis, fru-
a in excudendis his operam collocaſſe
: arbitrabor.

eſdæ, ipſis Calendis Octobribus,
Anno Ch. clɔ Iɔc LXXVIII.

*Veſtr. Perilluſtr. & Gene-
roſiſſ. Eminent.*

Obſervantiſſimus

Cliens
MARTIN GABRIEL HÜBNER,
Bibliopola.

Le-

Lectori Benevolo

S. P.

QVod omnium ſiderum illuſtriſſimo Soli contingere videmus, ut, cùm nubibus, qvaſi involucris, obtegitur, radii nonnihil impediantur, qvo minus lucem ſuam orbi communicare qveant: diſcuſſis autem iis, paulatim emicent, atqve ſplendore omnia impleant; idem & uſu venire ſolet magnis ingeniis, qvibus tales ſæpe nubes offunduntur, ut lucem ſuam orbi literato impertire non poſſint. Atqve ne longius hinc abeam: Qvis eſt, cui illuſtris ſideris Buchneriani radii oculos nos non perſtrinxerint? Et qvis eſt, qvi nubibus obductum & obtenebratum hactenus

ınc ſolem non conqveſtus fuerit? 't enim de morte, qvæ denſiſſima ıligine omnia involvit, non dicam; ıulta alia nubila tempeſtatesqve ıere, qvæ hanc lucem nobis inter-:perunt. Conatus eſt præteritis ıiqvot abhinc annis eas diſpellere 'ir omni laude digniſſimus, OT-'O PRÆTORIUS, Buchneri ge-er certè non degener, qvi multum ıne lucis in Orationibus edendis li-:ratæ Reipubl. affudit. Pro qvâ avata opera, qvantum omnes, qvi omen inter humanitatis & politio-is eruditionis cultores profitentur, li debeant, neminem puto eſſe, qvi gnoret. Interim eo per mortem ıobis erepto, denuò hoc Sidus ob-ıubilatum eſt, & parum abfuit, qvin ɔenitùs extinctum fuiſſet. Verum, ıvæ hujus viri ſingularis fortuna, antum abfuit, ut extingvi potuerit, ıt potius flamma cineribus tecta, ıunc deniqve refocilletur, novusqve in-

inſuper fulgor accedat. Siqvidem pari, ſi non majori, qvá olim religione ſacerdotes Veſtæ excubabant, ne ignis in honorem Deæ accenſus interiret, myſtarum inſtar Buchnerianum nomen devenerantes, excubias egere, ut poſtliminio qvaſi orbis literatus novo hujus ſpendore illuſtraretur. Qvam in rem cùm multum facere videretur, ſi utiliſſimas juxtà ac jucundiſſimas hujus Viri epiſtolas, ſanctiſſimè hactenus penetralibus privatis aſſervatas, in communem lucis uſuram exire paterentur; auctores mihi fuere, ut typis exſcribere publicareqve curarem. Neqve hic mihi deliberandum diu fuit, præſertim cum multorum votis hæc & alia Buchneri ſcripta multis ab annis expetita viderem. Qvin potius operas meas ultro detuli, ne lucem hanc ſuffuratum me eſſe qvis incuſare poſſet. Qvamvis autem tanta Epiſtolarum multitudo proſtet, ut

abernas penè rumpant, hujus gene-
is tamen hæ noſtræ ſunt, ut ſi non
mnibus aliis præferendæ, æqvandæ
ertè primis videantur. Neqve ve-
ò à meis laudibus qvicqvam illis
loriæ acceſſerit. Depoſco mihi
altem æqvum cenſorem, harumqve
eliciarum æſtimatorem; tantâ eum,
pero, voluptate detinebunt, ut priùs
manibus dimiſſurus non ſit, donec
mnes perlegendo abſolverit. Ut
le Politicis rebus jam nihil dicam,
um ſupra penulam meam ſint, &
elinqvendæ togatis, qviqve in con-
ilio aſſident. Nihilominus evidens
tqve perſpicuum eſt, refertiſſimas
ſſe præſtantiſſimis rebus, magnam-
ve prudentiam ſeſe prodere. Re-
picis hiſtoriam? Multa ſunt, qvæ
d notitiam incluti belli Germanici,
vod per triginta annos terris noſtris
ncubuit, ſpectant. Vin' Philolo-
iam? Et hic non pauca occurrunt,
væ in uſum ſuum ſtudioſus hujus
ſcien-

ſcientiæ convertere poteſt. Prudentiam reqviris? Invenient hic ſubindè juvenes, qvod imitentur in vita, qvodqve devitent. Qvæ enim ad formandos juvenum mores animosqve non præcepta ſubminiſtrat? Dum præcipuè methodum eloqventiæ à capite exorditur, & ad calcem usqve pertexit. Neqve enim qvi legendi ſolùm auctores ſint, monet, ſed & imitandi rationem præſcribit, uſqve adeò, ut itineris hujus ſtatuam Mercurialem qvaſi repræſentet, qvam juvenis ritè obſervans, feliciter illud emetiri poſſit. Jam ſi qvis ſcribendi genus paulò penitiùs conſideret, ſummum profectò & abſolutiſſimum Epiſtolæ reperiet hic exemplum; ut qvivis libentiſſime confeſſurus ſit, hujusmodi artificem nullum exſtare, qvi qvid cuilibet perſonæ conveniat, diligentius expendat. Siccùm ad amicum, ſuæqve ſorti haud imparem ſcribit, qvàm effuſa ſunt omnia in hilaritatem? qvam ſpontè fluunt omnia? & qvem amorem affectumqve ſpirant? Ubi autem cum patronis & magni nominis viris ei res eſt, gravitatem qvandam adhibet, & mixturâ amabili comitatem naturalem miſcet. Qvoniam igitur incomparabilia omnia ſunt, qvæ ab hoc vi-

ɔ proficiſcuntur, optandum fuiſſet, ut er fata licuiſſet auctori, ſermonis purio-s ſtudioſiſſimo, his ipſis feſtinatis ſæpius ltimam limam addere, procul dubio ıulta hinc inde meliora adhuc dediſſet. ed cùm id fruſtrà optemus, rogamus otius Lectorem æqvum, ne, ſi forſan, vod non omnibus adeò probaretur, ob-eniat, auctori tribuat. Præſertim cùm ıeſcribentium manus interdum aberrare otuerint, neqve enim αὐτόγραφα omnia pud manus noſtras præſtò fuere. De-ırehendimus ipſi unum alterumve, qvod nter deſcribendum apparuit dubium, ſed anti tamen non putavimus, ut aut cor-igendo aliqvid immutandum, aut planè ɔmittendum duxiſſemus. Cui lite-æ ipſæ ad manus ſunt, aut nos moneat, ſi ıliam illæ lectionem agnoſcant, aut illa-rum nos compotes reddat, tunc & melio-rem & correctiorem adornabimus edi-tionem. Ab iis autem, penes qvos plu-res epiſtolæ à Buchnero ſcriptæ latent, ut earum nobis copiam facere velint, etiam atqve etiam contendimus peti-musqve. Nam id agimus, ut futuris nundinis continuatio ſeqvatur. Qvod ſicut illorum, ad qvos eæ pertinent, in-

ſer

ſerviet famæ; ſic qvi lecturi ſunt, ſummoperè id prædicabunt, fructusqve non contemnendos exinde percipient. Vale, Lector benevole, & huic labori fave, eumqve, qvantum in te eſt, promovere ſtude. Dreſdæ, ad d. 1. Octobr. Anno cIↄ Iↄc LXXVIII.

Digitized by Google

BIBL. NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

I.

VIRO CLARISS.

Martino Opitio S. P.

PEropportune mihi redditæ ſunt tuæ literæ, *Frater deſiteradiſſime.* Nam qvum diutiùs ſolito videreris tacere, magno in metu eram, ne qvid aut dediſſent turbarum homines, qvi nunc omnia vertunt ac ruunt, aut valetudini tuæ per anni tempus rbis cumprimis obnoxium, accidiſſet, unde minere periculum poſſet. Qvam curam ve ſolicitudinem animi cum bona fide deſiſſent tuæ; dici non poteſt, qvanta voluptate gaudio perfuſus undiq; & delibutus fuerim. æ & jucundiora mihi & pleniora reddideıt Muſæ tuæ, qvas comites eſſe juſſeras; qviprofecto nihil abſolutius, pulchriusve in genere dari poſſet. Et Tu planè ita tibiſvadeas velim, eas à nemine alio, aut exci:omiùs, aut reverentiùs tractari, qvàm à me :nt. Qvem tibi in corpore ſodalitii dedeıt locum Anhaltini, eum congratulor; & ita eo, ipſos in eô ſuo magis, qvam tuo honori ıſuluiſſe. Nam à ſolius tuo nomine plus lucis fœnerati ſunt, qvàm potuiſſent conſeqvi, mſi omnes illæ maximorum & invidendo-

rum titulorum pompæ eo commigraſſent. De iſto autem honore conferendo in te jam ante monuerat qvidam ex nobiliſſ. Verderi hominibus, qvum is non ita pridem ſalutandi cauſa me conveniſſet. De Tartaro (agnoſcis Medicorum noſtrorum vocabulum) Ungarico, ut memor ſis, etiam atqve etiam te rogo. Sed qvid de tua effigie dicam? Citiùs, credo, Apelleam Venerem abſolviſſet Strobelius, ſi admoviſſet manum; ſed plus eſt Apollinem Muſarum deſcribere, qvàm illam mollium amorum Matrem. Hymni noſtri ante hyemẽ anni vix apparebunt. Qvos cur tam avidè, ut ſcribis, exſpectare poſſis, cauſam comminiſci non poſſũ. Niſi qvod amor & ipſe cœcus eſt, & tales reddit, qvos cepit. Itaq; videris. Hic nihil novi. Nam frigere bonas literas, &, qvod multò prius eſt, contemni palam, illud jam vetus prorſus eſt, & ubiqve receptum. Magdeburgenſe negotium, ut ſpes eſt, brevi componetur. Ampliſſ. Nuslerum, ut & Colerum tuum, (an etiam meum?) officioſè, ac peramanter meo nomine ſalutabis. Vale, exoptatiſſime Frater, & de rebus tuis propediem vel prolixiſſimè ſcribe. Nam proximæ illæ tuæ breviores ſunt, qvam volebam; nihil enim iis libentius lego. Qvocirca in poſterum paulò largiores appones dapes. Vale iterum, & ſalve plurimum, ô longè dulciſſimum caput.

Wittenbergæ ad d. IX. Menſ. Septembr. A. cIↃ IↃc xxII.

II. Mar-

II.

Martino Opitio S. P.

Elli certe eſt, Opiti, frater ſvaviſſime, tibi
colloqvi, & ſive de ſeriis, ſive ludicris, te-
cædere ſermones. Qvod qvia præſenti te-
non licet, age per epiſtolarum commercia
r alteri confabulemur! qvartus ipſe dies eſt,
d per Lipſienſes curſores ad te direxi lite-
Iis ſignificaveram, propediem ad te curatu-
, qvæ Nobiliſſimus Verderus, amicus com-
nis, ad me miſiſſet. Ea nunc Ciſiarius iſte
feret, & ſimul etiam has noſtras. Etſi enim
il eſſet, qvod ſcriberem, ſcribere tamen vo-
Nam ut argumentum certum deſit, nun-
m tamen non invenit amor, qvod ſcribat,
omnium Deorum diſertiſſimus & facundiſ-
us eſt. Peto autem abs te, ut qvid de Ver-
i iſto opere cenſeas, ad me qvam primum
s perſcribere. De Poëſi ita ego ſentio, illu-
m prorſus atqve eximiam eſſe, & paria poſſe
re cum Epica Græcorum Latinorumqve,
rum vineta inſigniter cædit. Translatio-
n verò multo & operoſiorem Hübnerianâ
taſſi & meliorem judico: qvanqvam Italica
dum licuit cum noſtris conferre. Sunt ta-
n non pauca, qvæ peccavit ibi nobiliſſimus
, & qvæ potiſſimam partem nunc ipſe vide-
agnoſcere. Qvoties enim articulum neu-
s nominibus fœmininis addidit? Qvoties
ulari numero loco pluralis, recto caſu pro
iqvis uſus? Atqve ad iſtam faciem plura alia

ſibi indulget, in id tantùm, ut verſus poſſit conſtare. Qvæ ſi licita nobis, & permiſſa arbitratur, næ ſoli omnium Germani ſumus, qvibus impunè ſolœciſmos liceat facere. Qvod tamen negat, & ad ravim usqve pernegat Priſcianus, vir ornatiſſimus, cujus ego judicio in talibus certè plurimum ſoleo deferre. In terminationibus verſuum Gallorum rationem ſecutus videtur potius, qvàm tua præcepta, qvæ profectò extra omnem controverſiæ aleam poſita ſunt. Sed & in ipſa dictione aliqvando minus placet, ut cum vel obſoletis & inuſitatis vocabulis, vel ſordidis, & vulgo tantum tritis utitur. Verum hæc non niſi illis nota ſunt, qvos Muſæ intra velum docuerunt. Qvicqvid tamen ſit, multum profectò amo & æſtimo virum illum ob hanc navatam nobis operam: & plura fortaſſis emendabit, ſi iterare editionem contigerit. Neqve enim ſuis opinionibus ita hæret, ut aliorum ſententias prorſus negligat. Qvin libenter præbere aurem ſolet, qvi recta monent. Et vero non amo tantum illum, ſed & multa mihi de eo polliceor. Etenim nobile & excellens in ipſo ingenium, qvodqve vel maximum Poëtam nobis poſſet promittere, ſi ad Græcorum & Latinorum prudentiam melius eſſet eruditum. Teſtatur apoſpasmation illud carminis de Chriſti magnificentia, qvod in præfatione ad lectorem dedit, qvantum natura valeat. De itinere tuo Dacico iterum te moneo, ut cautè illud ſuſcipias, & cum accuratiſſima cura tuæ ſalutis. Nam ut tu parum cures, qvid de te futurum ſit: cogitare

tamen

tamen debes, & ſedulo tecum expendere, qvid de te patria communis ſibi exſpectet. Cujus certe maxime intereſt, te qvàm diutiſſime ſuper-eſſe. Profectò ego pro te omnia etiam tuta timeo. Nam ut noſti, maximo amori maximus ſemper metus junctus eſt. Itaqve te, per qvicqvid tibi ſanctum ac carum eſt, oro, qvæſoqv, ut tui rationem habeas, & maneas potius, ſi qvid timendum fuerit, qvàm incertis periculorum te committas. Pereat omnis Dacia, modò Opitius noſter nobis ſuperet Hæc ad te, Frater, nunc ſcribere placuit, qvæ boni conſules. Nam & parum polita ſunt, & citra omnem curam illita ɔotius chartæ, qvàm inſcripta. Ego adhuc ınum te rogo, ut ſive eas in Daciam, ſive domi uæ maneas, Buchnerum tuum conſtanter a-ıare pergas. Raptim Wittenb. ad d. 17. Junii. .nno 1626.

III.

Martino Opitio S. P.

Am conſignaveram literas, jam obligaram fa-ſciculum, & nunc in eo totus eram, ut omnia te rectè perferrentur, qvum ecce tuæ exoptaſimæ redduntur mihi. Qvid dicam, Frater? ın qvam ſponſus ſperatam pactamqve ſuam n arcte amplectitur, qvam ego illas. Et male ·eam, niſi terqve qvaterqve legerim. Ita nebã explere mentem, ita me abripiebat amor s, qvem tam ubertim illæ ſpirabant. Uti-n vero imaginem tuam mox nanciſcar! Sic Muſæ ament, inter Patris Fratrisqve vel pri-

mo loco venerabor. Sed de Kirchnero qvid narras? Ergone hic annus faſtis prorſus infamis fiet tot præclariſſimorum virorum mortibus? Flet noſtra Saxonia Meiſneros ac Balduinos: Menzeros ac Winckelmannos Haſſia qveritur; τὸν πάνυ HEINSIUM univerſus orbis deplorat. Profectò bona fide indolui optimi viri fato: qvem ſi verſibus meis honorari poſſe putas, officio meo non deero.

Ab alio exſpectes, alteri qvod feceris.

Tuorum Poematum novam adornari editionem lætus accepi. Tu dabis operam, ut qvàm nitidiſſimè prodeant. Nam à tam pulchro ac cœleſti corpore maculæ omnes ac ſordes procul debent abeſſe. Schurerianos minime adeundos cenſui. Neq; enim tu illis ullo modo obſtrictus es. Tuus iſte fœtus eſt: itaqve liberè tuo utere jure. Ex Anhaltina, vicina nobis provincia, nihil accepi hactenus, niſi qvod ſemel iterumqve Hubnerus per alios me juſſit ſalvere. Et illos facile hæc tempora excuſant. De Barthio gratulor, qvod ad amicitiæ cultum redierit. Profectò eſt mirabile caput, & qvem offendas, qvùm te placere maximè autumes. Ego tamen hominem amo, colo, veneror, ſi qvem alium, ob divinum ingenium & incomparabilem eruditionem, qva ſeculum noſtrum præcipue illuſtrat. Toto iſto tempore, ex qvo Wittenbergam reliqviſti, nihil ab eo vidi literarum. Fortaſſe placuit meas eſſe aliqvandiu vices, qvæ tibi hactenus ſuſtinendæ fuerunt. Probata tibi fuiſſe ea, qvæ in Glogovienſem aſinum luſi,

ſerio

gaudeo. Sed in poſterum nihil mihi cum
erit negotii. Veſcatur carduis ſuis ſecurè,
nihil turbabo. Nec eſt in reſponſione ejus,
d me magnoperè tangat. Et ſi eſſet, meli-
ontemtu vindicaretur. Hippocratis vin-
s indiget potiùs, qvàm reſponſione: ita ille
 deſipit, ſed inſanit. Vale, ô meæ dimidi-
animæ, Cl. Opiti, & me tuorum carminum
ione qvam primum bea! Wittenb. ad d. X.
obr. Anni cIↄIↄc XXVII.

IV.

Martino Opitio S. P.

Vod dulci Amiculo, Frater optatiſſime,
metuas, cauſa non eſt. Nam tota æſtate
i ſatis benè cum meo mihi convenit morbo.
us ut qvædam ſubinde ſemina ſe exerant,
ſcunt tamen, nec figunt radicem: ut aſſilire
ius & ſtringere leviter, qvam inſtare atqve
ere videantur: qvod DEO ago gratias. De-
am nunc excuſare ſilentium, ſed tu in exi-
dis officiis tam moroſus non es, nec qvis-
m amicis promtius ignoſcit. Inveniet ve-
m, qvicunqve dedit. Pro Heinſii oratione &
tonis Diſtichis, qvæ cum ſumma voluptate,
ua omnia, legi, ago gratias. Horum exem-
r alterum ſuperiore ſeptimana cum literis
Dominum Barthium miſi. Qværis qvid-
m reſponſi abſtulerim? accipe & compone
ntem: Daß Juncker Caſper Barthen (ipſe
opria manu ſcripſerat,) ein Schreiben von ꝛc.
erbracht/iſt dem Bothen dieſes zum Zeugnis

ertheilet. Sign. Sellerhauſen/ ꝛc. Qvæ eadem verba proxima hyeme mihi reddita ſunt, qvum ad ipſũ literas dediſſem. Qvæſo te, mone, Frater, „qvid videatur? nam ego judicium ſuſtineo, & „illud Senatorium uſurpo N. L. Interim non diffiteor, me & amare ſummoperè hominem, & admirari. Sidnei Arcadiam nondum Bibliopolæ noſtri attulerunt: ut alia, qvæ mallem legere, qvam nugas illas, qvibus plerumqve vel rumpere ſuas tabernas ſolent. Sed nec latinæ tuæ Muſæ, qvod nos ſperare jubebas, apparent hactenus. Mei autem hymni prorſus Deorum pedibus incedunt, ita lente correpunt ſub prælum. Spero tamen expeditiores futuros ſub acceſſionem hornæ auctumnitatis. An Dresdam venire poſſim eô, qvo ſcribis tempore, proximè ſignificabo; nam certi aliqvid ſtatuere nunc qvidem propter plurimas cauſas omnino non poſſum: qvamvis te unicè optem videre & amplecti, à cujus imagine fruſtra hactenus aliqvod deſiderio meo ſolatium exſpectavi. Multum moleſtiæ tibi ab Iſiacis raſis fieri, ipſi mihi magnæ moleſtiæ eſt. *Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.* Optime de illis Imperator exiſtimat, qvos periculoſis adhibet. Et tu virtutis experimenta interpretaberis, qvam infelicitatem alii dixerint. Plane olim, id eſt, ſemper, qvos probare voluit, exercet DEUS. Qvocirca te collige, & ſta in gradu; & cogita, non ſeqvi coronam, niſi ubi pugna præceſſerit. De Anhaltinis qvæ ſcribis, ſuo illô ingenuo ſale mirum in modum placuerunt. Profectò ita eſt; multum

tibi

tibi blandiuntur illi homines, adeoqve videntur novi Romuli, ac Pompilii Muſarum. Hubnerus prorſus tacet hactenus: niſi qvod ſemel iterumqve per alios juſſit ſalvere: ut & Verderus, & ipſe princeps. Emblemata nova illa non vidi: ſed verſus ſine iconibus jam olim editos & habeo & lego; ſane nihil habent, qvod urere poſſit. Superioribus diebus Schillingius Aulæ præfectus nuptias celebravit ſumtu Principis; cui procul dubio Collegæ ſolenne JO HYMEN! acclamarunt, ejus tamen nihil hactenus ad me pervenit. Publica non tango adhuc plus ſatis impedita & dubia: Qvo in ſtatu nunc res veſtræ atqve religio præcipue ſit, certiorem me facies. Nam benè ſperare de eo negotio nos illa jubent, qvæ Torga & Dreſda his diebus allata ſunt. Ampliſſ. Colerum, ut & Nuslerum perſalutabis. Vale ſvaviſſimum caput, multum deſideratiſſime Frater, Opiti! Wit. ad d. XV. Julii, An. cIↄ Iↄc xxix.

V.

Martino Opitio S. P.

Tertium, opinor, menſem, Frater, abs Te meæ deſiderantur literæ. Nam ultimas tuas medio Octobris hîc finitis nundinis Lipſienſibus, auctumnalibus inqvam, accepi. Ex eo tempore nihil ſcripſimus inter nos. Et tu videm non poteras acrius ſilentium meum ulciſci, qvàm qvod ſileres: Itaqve ſcribendum mihi nunc tandem fuit, ne diutius à me tam triſtes pœnas ſumeres. Pro ex-

emplari novæ editionis Poëmatum gratias ago maximas. Non poteras exoptatiore me munere, ita me ſemper ames, donare. Nam & jucundum fuit relegere, qvæ olim tam impenſè placuiſſent, & videre in cæteris cum admiratione, qvantum jndicii cum ætate acceſſiſſet. Nam iſta noviſſima neſcio qvid virile, & admirandum, & majus plane humana voce videntur ſonare. Profectò tibi adhuc juveni plus debet noſtra Germania, qvàm ſeni Virgilio illa urbs, qvam ipſe rerum pulcherrimam appellavit. Omnem Helicona tuæ excedunt Muſæ, & jam plane Olympum pedibus pulſant, ut Græculè loqvar, qvum nos interim ignobile vulgus, qvicqvid conemur, humi repamus. Præter Latina qvædam eaqve futilia nihil edidi: qvæ potiſſimam partem perierunt. Unum illorum, qvod evaſit naufragium, hic mitto: alterum, qvod junxi, Heroicum nempe, neſcio, an eximere debeam illi cenſui. Qvod ut faciam, videntur & numeri, & materia ſvadere; qvod & de altero videbatur, qvod proximè habebis paulo elegantius editum, qvod ad Theophania ſcripſi. In qvo neſcio qvid auſus mihi videor: adeo temerarius, ut iſte infelix Bavius vel illum ingentem Maronem tentare aggreſſus fuerit. Tu judicabis. Hymnis autem qvid futurum ſit, nondum diſpicio. Spero tamen viſuros lucem, anteqvam ipſe in Gallias eas. Qvod qvum vere proximo te facturum, prius autem me ſalutaturum ſcripſeris, cave ſodes, hanc promiſſionem tuam (ita enim interpretor) fal-

las.

Jamdudum enim miris modis te videre ſ-
idero, & illud cœleſte pectus amplecti, in
uno reqvieſcere cura animi ſvaviter poteſt.
perioribus diebus Mecœnas tuus, illuſtriſſi-
us Burgravius, qvum Halberſtadio reverte-
ur, hac tranſiit. Dici non poteſt, qvam me
xerit ille nuncius, qvàm ſpei lætiſſimæ exo-
landi te reddiderit plenum. Sed fuit vanum
id gaudium, qvum tu abeſſes longe,& mox in
ventos abiit. Tartarum Hungaricum nul-
m vidi hactenus. Itaqve iterum, ne qvid
endero, vello aurem. Juva, qvæſo, amici
letudinem, qvi tibi in nulla unqvam re de-
it, qva tibi ſe commendare poſſe intelliget.
mpliſſ. Dominum Nüslerum officioſe ut ſa-
tes,eiqve hæc Exemplaria impertias, magno-
re abs te peto. Vale, *Frater ſvaviſſime*, &
am primum ſcribe, & de itinere, & rebus
is omnibus,qvas ſub auſpicium anni proſper-
mas prorſus voveo & precor. Wittenb. ad d.
I. Jan. cIↃ IↃc xxx.

VI.

Martino Opitio S.P.

NOn dubito,te tandem tibi redditum, *Fra-
ter exoptatiſſime*, hoc eſt, Uratislaviæ tuæ
eſtitutum eſſe. Qvod ſi eſt,idq; feliciter,& ex
ententia animi plane, & gratulor certè, & DEO
go gratias: Ei porro ſimus curæ. Qvum ex Al-
enburgenſi itinere, qvod parum feliciter ſuc-
eſſit, rediiſſem Lipſiam, & qvidem ſero veſpe-
e, ſeqventi mane rhedam nactus, paulo poſt
diſceſ-

diſceſſi. Qvo factum, ut ſummo illi Amico noſtro coram valedicere minus potuerim. Feci tamen literis, & eas Schleichio, ut redderet, reliqvi. Utrum acceperit excuſationem, liqvido ſatis non conſtat. Neqve enim qvicqvam hactenus reſponſi tuli. Spero tamen. Et aliter facere res meæ omnino prohibebant. De Epigrammate in tuam imaginem valde libenter accepi. Nec dubito, qvin id curaveris Argentinam ut addi poſſit. Id enim majori gloriæ erit. Nam meum & lepidum parum, & languidum eſt, frigidumqve. Nunc abs te peramanter peto, Frater, ut eorum librorum, qvos tecum attuliſti Pariſiis; ut illorum, qvos ex ipſa Arabia usqve aſportavit Golius, mittere indicem ne graveris. Adjungas exemplum & literarum Grotii, qvas ſuper qvibusdam Tertulliani locis, neſcio an ad Rigaltium, an ad Salmaſium, dedit. Si alia habes hujus Muſæ, recte omnino feceris, ſi me corũ minime patiaris exſortem. Noſti vetus: κοινα φίλων πάντα. Id autem tu ita accipere non debes, ac ſi deſcribendi laborem tibi velim impoſitum: non ita impudens ſum, ac illiberalis, Frater; ſed ut cuivis alii potius id munus injungas. Et optime eo aliqvis de Schola fungetur puer; qvem ad id parvo ære conducere potes. Ego vero dabo operam, ut in gratum & memorem hoc beneficium contuleris. Ita plane habe, Frater. Novi nihil, niſi qvod trepidatione circum circa plena omnia. Multi fatentur ſe ſcire, *Qvid fortuna ferat pa- t i e ſi d*, qvod Poëta mox addit, *dicere muſſant*. Et

vereor

:reor valde, ne noſtræ iſtæ Tragædiæ, qvas tot
ınos ſpectamus, adeo male connexæ ac impli-
ıtæ ſint, ut niſi attrahatur machina, ſolvi vix
veant. Adeo omne artificium nobis periit. Sta-
ıus tamen, & obfirmanus animum conſtanti-
us exemplis, qvæ valde fallor, an literæ no-
ræ omnium optime nobis ſuppeditabunt. Va-
:, deſideratiſſime Frater; vale, & ſalve iterum,
erumqve! Witteb. d. III. Novembr. Ann. cIↄ
ıc xxx.

VII.

Martino Opitio S. P.

QVò magis cruciabar animi, Frater exopta- Gordini
tiſſime, tanto ſilentio abs te mulctari; eò
beriorem voluptatem atqve lætitiam cepi ex
uis, qvas proxime dabas. Nam qvum & Bar-
ıius, amicus noſter ſummus, nihil omnino ſcri-
eret, metuebam valde, ne duûm amiciſſimo-
um hominum alloqvio ſimul privarer. Sed
lle jam menſem qvartum contumaciſſime ſilet;
:ujus rei cauſā eo qvidem minus invenire poſ-
ūm, qvod ipſe paulo antea creberrimas literas,
ılenasqve humanitatis & benevolentiæ ſum-
næ erga me, dederat, & ego nihil hactenus offi-
:ii in ipſum omiſi. Qvicqvid ſit, eqvidem ægre
:ero: & majorem dolorem inde concepiſſem,
ıiſi in tempore veniſſent tuæ, qvibus plurimum
:erte levatus ſum. Nam cum te præſente mi-
nus frui poſſim, cujus tamen amor mihi in ho-
ras creſcit, unicum eſt, qvo langventem deſi-
derio animum mulcere atqve ſolari poſſum, ſi
legam

legam tuas: qvo crebrius deinceps perſcribendum tibi ad me eſſe exiſtimabis. Epigramma tuum nuptiale, ut in ultimum pene locum conjectum eſſes, primo tamen omnium legi, cujus ſvavitas & elegantia effecit facile, ut reliqva ſine ſummo faſtidio nec inſpici poſſent, ipſum autem poſt iteratam ſæpius lectionem alliceret atqve invitaret. Poëmata tua, item Grotii libros, de qvibus ſpem faciebas, valde qvam exſpecto. Qvo circa ſimul lucem viderint, ad me ut perferendos ſtatim cures, etiam atqve etiam abs te peto, Interim tu hæc noſtra in Theophania Eidyllia duo leges, & Carmen ſeculare proxime exſpectabis. Habes hic aliqvot exemplaria, qvæ amicis, qvibus inſcripta, diſtribues, eosqve multa ſalute imperties. Si videbitur, poſſis & unum eorum ad Grotium cum literis curare. Nam maximopere velim incomparabili Virorum per te, ſi fieri poſſit, innoteſcere. Conventus Principum nondum ſolutus eſt. Ineunte hoc Menſe Martio miſſus ad Imperatorem nuntius, qvi anteqvam redierit, vix diſceſſio fiet. Et jam plures qvotidie procerum & legatorum advolant. Namqve & nudius tertius Sereniſſ. Daniarum Regis legati tranſiere, eò profecturi. Qvæ conſultata hactenus, decretaqve ſunt, ſecretiſſime habentur. D. Hoe & Lipſienſes Theologi cum Brandenburgicis, Bergio, Crellioqve qvotidie conferre narrantur capita ſuper Auguſtanæ Confeſſionis capitibus qvibusdam: & ſpes eſt, aliqvam concordiæ rationem initum iri inter

Refor-

eformatos & Noſtrates. Deus faciet, ut tandem certamina iſta deſinant, & ſimul Eccleſia, ſimulqve Reſpublica patriæ tandem tot votis expetitam pacem conſeqvatur. Vale, deſideratiſſime mortalium, & unus omnium amiciſſime, clariſſimeqve Opiti, Frater! Vale iterum! Raptiſſime ad d. XIV. Martii, A. 1631.

Qvæ petii nuper abs te ſi conqviſiſti è ſchedis tuis, facito, qvæſo, ut abs te impetrem. Sed tuam effigiem ecqvando intuebimur tandem? Si Argentorato allata exemplaria ſunt, qvæſo te & unum eorum vivis coloribus perficiendum cures, ne umbram tantum habere videar.

VIII.

Præſtantiſſimo Juveni,

Johanni Erneſto Gerhardo

S. P.

HAbes, qvod volebas, *mi præſtantiſſime Gerharde*, neſcio qvid carminis in obitum incomparabilis parentis tui. Qvi ut ingenio & eruditione excellerat longe humanam naturam, ita nullius hominis lingvâ deprædicari, ut merebatur, ſatis poteſt. Itaqve nihil hîc leges, qvod reſpondere meritis tanti viri poſſit. Neqve nunc obſecutus tibi ſum, ut aliqvid gloriæ ac laudis in defunctum rediret, ſed tantum, ut declararem affectum meum, qvo ſummas ejus virtutes proſeqvutus ſemper ſum atqve deinceps in poſterum venerabor ſemper. Neqve enim excidere noſtris mentibus debet, à qvo tot maximis beneficiis affecti ſumus. Neqve enim

qvid

qvid excellentius præſtare qvisqvam nobis poteſt, qvam qvi nos vera docet & recta. Qvod tuus perqvam egregie fecit: Atqve nunc etiam, cum deſiiſſe exiſtimatur; qvod vel hic liber docet, qvi mortuo tuo nunc eſſe tandem meus cœpit. De qvo, mi præſtantiſſime Gerharde, plurimum te amo. Qvem valere rectè, & ex animi ſententia agere, prementem ſtrenuè veſtigia patris, etiam atqve etiam precor. Vale! Raptim Wittembergæ ad d. xx. Auguſti, hoc eſt, altero, poſtqvam mihi redditæ eſſent tuæ, Anno cIↃ IↃc xxxvII.

IX.

Martino Opitio S. P.

POſt Lipſienſes nundinas proximas nihil à te literarum vidi, Frater; nec ipſe ad te qvicqvam dedi: qvod pudet fateri. Sed accidit fere, ut, cum occaſio ſcribendi eſſet, ego negotiis aliis & occupationibus diſtinerer qvam maximè; & qvando vacarem nonnihil, tum nulli eſſent, qvi perferrent. Qvanqvam autem neqve nunc qvidem alia re minus, qvam otio, abundo; tamen hoc præverti cæteris rebus omnibus decuit, ut ad officium redirem, ne, ſi tacerem diutius, ſecus de nobis, qvam par erat, ſuſpicari poſſes. Grotianum opus dici non poteſt, qvam delectarit me, ac ceperit. Qvas tibi ſolvemus grates, tum qvod donare nos voluiſti iſthoc munere; tum qvod laborem interpretandi egregium ſcriptum in te ſuſcepiſti? Nam uti induſtriam tuam non ſatis poſſumus laudare, ita dexte-

teritas interpretationis admirationẽ pene
m excedit. De Notis, qvas te ſecundæ
:ioni additurum promittis, laudo propoſi-
1. Egregie enim de publico mereberis,
m qvotusqvisqve ſatis intelligat, qvæ ex
imis humanæ pariter, & divinæ ſapientiæ
ſauris ibi deprompta ſunt? Qvod ſi juvare
m diligentiam ſtudiumq; potero, non deero
te. De tuis Latinis Poëmatis nos omnes in-
niter fefellit Schleigius. Qvod mihi per-
am ægre fuit; credo & aliis, qvibus Muſæ
n ſordent. Hubnerus primam Hebdoma-
Bartaſſianam nunc nuper dedit: cum qvo
n ita pridem collocutus ſum: cum Werthe-
etiam cœnavi, qvi mihi legendum dedit opu-
ılum ſuum de Perſona Chriſti, brevi, ut ſpero,
endum. Eſt vero egregium ſcriptum, & tan-
dignum ingenio, ſi inventionem ſpectes.
am de orationis genere aliqvanto aliter ſta-
o. Et noſti ipſemet, multa hic Anhaldinis de-
ſe, qvi tibi grandem dicam ſcribent, qvod ſu-
:riore auctumno, qvum redux ex Galliis rever-
reris in patriam, ipſis inſalutatis diſceſſeris. De
:uſſii obitu, opinor, accepiſti. Et certe igna-
ım ſtatuam, qvi nollet mori, patria moriente.
los verò felices autumo, qvi mature potuêre
bire, anteqvam omnia peſſum ire cœperint.
Nam de rebus noſtris qvid augurandum habe-
m, non magis ſcio, qvam qvi in Auſtrina mundi
arte nunc maxime ſapiat. Hic omnia lente
rocedunt; qvam caute, exitus docebit. Nul-
us contentioni locus eſt in eo conſilio, qvod

non poteſt laudari, niſi peractum. Ita ego arbitror. Nec fregiſſet Annibalem mora Fabii, niſi Scipio admiſcuiſſet celeritatem. Aliqvot Tillianas cohortes fugatas fuiſſe ab Heſſo conſtans rumor. Sed & Papenheimium non leviter afflixiſſe ad Albim regias copias ex viciniâ ſcribitur. Videtur Rex Magdeburgum cogitare, qvippe qvi ad Borchum oppidulum, qvod duobus milliaribus à capta urbe poſitum, locavit caſtra. Superiore ſeptimana unus ex Regiis Cubiculariis apud nos fuit: cum qvo jam olim mihi notitia; nam uti ſummo genere natus, ita non in vulgarem modum eruditus eſt. Nomen parcam adſcribere. Is igitur pro certo mihi affirmavit ad d. xxi. Junii, Regem in ſomnis monitum, moveret illico, ac gereret rem: & mox ſurgentem de lecto, gladium, qvo accingi ſolitus, qvemqve primum petebat, ſtrictum offendiſſe, qvem tamen, cum iret cubitum, vaginâ conditum reliqverat. Habes oſtentum: qvid portendi eo videatur, tuum erit ariolari. Ego interim opto, terror omnis in hoſtes recidat. Imaginem tuam vide, ſatis ad vivum expreſſam; ſed volo habere à tua manu. Alterum exemplar curabis induci vivis coloribus, ut plus habeam, qvo oculorum deſiderium ſolari poſſim. Vale, deſideratiſſime Frater, & me ama! Raptiſſime ad d. III. Julii, An. cIɔ Iɔc xxxi.

Memor & cæterorum eris, qvæ abs te nuper petii.

X. Fi-

X.

Filio ſuo S.P.

HAc ſtrena, mi Fili, hoc novi anni exordio dono te, non moris & conſvetudinis, ſed ɔni ominis cauſa, & ut deinceps aanitendum ɔi ſtrenue, & qvantum fieri poteſt allaboranɔm cenſeas, ea ut diſcas, qvæ te non tantum ɾerarum, ſed veræ vitæ etiam prudentem faere qveant: cujus exemplum à ſolo Chriſto etendum eſt, qvem totum tibi iſte liber ob ocuos ponet. Hunc igitur leges, hunc releges, ıunc iterum iterumqve evolves, ac totum edices adeo, ut non tam digitos tuos noveris, qvam qvæ hic verba dictaqve contineat. Hunc vix deponendum tibi è manibus, vix omittendum unqvam ſtatues, certe ubiqve & omni tempore animo & pectore tecum geſtandum. Hic tecum ſemper domi verſabitur, peregrinabitur foris; actionum tuarum omnium atqve negotiorum director & arbiter, & conſiliarius, &, ut breviter dicam, univerſæ vitæ tuæ Magiſter erit ac Pædagogus. Magna atqve egregia res eruditio eſt, & multum meretur laudis; ſed longe excellentius eſt, innocentiâ præſtare nitereqve virtutum luce, ac bene vivere potius, qvam multa ſcire. Et tamen hoc ipſum qvoqve parum eſt niſi Chriſtum noveris: in qvo uno & ſolo ſumma ac ultima felicitas hominis poſita eſt. Huc itaqve connitendum, ut Ennius ait, ſumma opum vi; Huc contendendum tibi eſt, dirigendaqve in iſtum finem omnia, qvæ

nunqvam aut diſci poſſunt in ſcholis, aut doceri. Neqve enim putare debes, ſummam ibi veramqve inveniri ſapientiam, in qva ipſe apex ſit noſtræ felicitatis; ne erres, ſed ita oportet ſtatuere, eá ipſa ſolatia eſſe itineris & levamenta qvædam, ut eas expeditius, atqve compendioſius paulo ad veritatem pervenias. Sed nunqvam aberraveris, Fili, ſi qvem nunc comitem tibi concilio, imo ducem potius, eum tu unice ſeqvaris. Neqve enim alia via ad Chriſtum adire poſſumus, qvam qvæ aperta ab ipſo eſt, aut, ut rectius dicam forte, qvam qvæ eſt ipſe. Nam qvoties loqveris cum Præceptore iſto tuo, (hunc autem librum intelligo) toties & ipſum Chriſtum audire putaveris, ſed Evangeliſtarum & Apoſtolorum voce tecum loqventem. Porro: non ſatis eſt tenere memoria, qvæ hic legeris, &, qvando opus, exponere recte poſſe; imitari etiam oportet, & ipſo exprimere opere, qvæ didiciſti: totumqve adeo te in vitam Magiſtri & mores transformare: *ut jam non ipſe vivas: ſed Chriſtus vivat in te*, qvod Apoſtolus alibi de ſe ait. Hoc cum aſſecutus fueris, tum demum legiſſe recte hunc librum te, tum eruditum & Chriſtianum putato, exiſtimato. An enim ille Chriſtianus ſit, qvi vivat aliter, qvam Chriſtus præcepit, aut Chriſtianorum præmia ſperet, niſi reipſa fuerit Chriſtianus? Namqve qvis alius tantum tueri nomen poteſt, qvam qvi præcepta Magiſtri cuſtodiat, & univerſam diſciplinæ rationem compleverit? Et qvibus aliis vitam æternam promiſit Chriſtus, qvam qvi crediderint

rint

: in ſe, & ſua mandata ſervaverint? Nam illa
mandata ejus vita æterna ſunt. Qvapropter
s, honores, divitias & ſi qvæ alia ſunt, qvæ
ıirari homines ſolent, ita habebis, Fili, ut
·iſtum omnibus longe anteponendum cen-
; qvin ejus cauſa illa ipſa qvoqve, ſi opus, &
ıpedimento fuerint, qvo minus tuum tibi
·iſtum teneas, calcanda, abjicienda, dete-
ıdaqve penitus eſſe exiſtimes: ac ita ſtatuas,
rtem eſſe hanc vitam, qvæ ſine Chriſto du-
r. Aut ſi Græca mavis, cujus tu lingvæ
nenta prima jam diſcis, non invidebo eqvi-
ı aut tuis deero commodis. Eſt enim hæc
gnatii ſententia, viri ſanctiſſimi, Martyris
rioſiſſimi, qvem proximum Apoſtolorum
ſſe temporibus, ſcire debes. Et ecce ipſam:
ιατός ἐστιν ἄνευ Χριστοῦ ζωή. Qvam ſi didice-
ıodie, ingrediente jam novo anno, & com-
ndâris memoriæ, ita, ut eā perpetuo verſan-
n animo habendamqve ante oculos, nec un-
ım credendum tibi aliter exiſtimes, næ ego
cherrimè me locâſſe hanc operam, & plus
ıtuliſſe in te videbor mihi, qvam ſi vel re-
ım dederim, aut Craſſi opes, qvo nemo Ro-
norum opulentior fuit. Sed plenius atqve
inius hic ipſe docebit te liber. Qvem tibi
nc proprium do & dedo. Tu etiam atqve
ım vide, eo ita utaris, ne aut dictorum patris
ıantiſſimi meminiſſe parum, ejusqve dece-
ſe ſpem, aut ipſe temet tanto theſauro feciſſe
lignum, unqvam videaris. Hoc etiam at-
e etiam cave, mi Fili! Deus conata tua bene Volum
ſem- ſub novi anni

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſemper proſperet tibiqve adſit, adqve hunc novum annum feliciter ingredi, eumqve cum maximis tuis commodis decurrere ſinat! Vale, mi Fili. Kal. Jan. Anno cIɔ Iɔc xxxII.

XI.

Martino Opitio S. P.

AUctumno proximo, Frater conjunctiſſime, per Eliam Beſoldum ad te dedi literas: qvi qvidem cum nondũ reverſus ſit, neſcio ſanè, utrum illæ rectè traditæ fuerint. Neq; enim qvicqvam hactenus perſcripſi; & de Polonico tuo itinere ex noſtri Nüsleri literis cognovi. Qvo ſi defunctus feliciter es & ex ſententia, tibi gratulor, mihi vero & gaudeo. Spero enim, te rediturum ad officium, & nos qvam primum exoptatiſſimis literis tuis exhilaraturum eſſe. De copiis, qvæ coguntur illic, multa hodie afferuntur. Hic nihil geritur publicè, de qvo ſcribendum magnopere habeam, niſi, qvod Torgæ aliqvot Principes de publica re conſultent; qvod benè evenire Deus ſinat, ut & vera conſilia capiant, & qvæ ſtatuerint rectè, ſtrenue maturent. Non cœpiſſe, ſed perfeciſſe virtutis eſt. Meæ privatæ res ſatis videntur habere belle. Nam & valetudine commoda utimur, & peſtilentia abiit, qvæ nos ſuperioribus menſibus vehementer afflixit. Qvid qvod & paulò unctius nobis nunc procedit ſtipendium, ex qvo ad partes veteres & Oratoris ſive Rhetoris munus nobis non ita pridem eſt demandatum. Qvam rectè & ordine, atqve è re juventutis, illi vide
rint

t,qvorum auctoritate & juſſu illud factum.
Nam nole parere mei officii eſſe non
ci. Deus id fauſtum & felix eſſe ſinat. De
igine toties ſcribere piget. Et tamen ſatis
idè cupio. Qvod ſi Strobelii opus, de qvo
m nobis feciſti elegantius fortaſſe, qvam ut
licitati noſtræ poſſit congruere, fac qvæſo, ut
qvot exemplaria illius, qvod Argentinæ æri
culptum eſt,perveniant; ſed unum vivis co-
ibus inductum, ut habeat Hauerus noſter
mplar ſcilicet, unde mihi aliqvod inſtar tui
ſit excudere, qvod in Muſeo meo dedicem.
onerem etiam de reliqvis, ſed nolui te in pu-
rem dare. Videbis, qvid per iſta tempora
o mitti poſſit. Vale cariſſimum & deſidera-
imum caput. Wittembergæ ad d. xxxii. Febr.
cIɔ Iɔc xxvii. raptim.

XII.

Martino Opitio S. P.

Ximius Vir, Illuſtriſſimi Ducis Holſatiæ
Secretarius, heri me tua ſalute impertiit,
iter; qva cum nihil nobis jucundius accidere
ſſet,ipſe qvoq; longè gratiſſimus fuit. Qvan-
am & ea ingenii elegantia, ac ſvavitate mo-
n eſt, ut abs ſe qvemvis facile ad amandum
itet: Ei tres horas dedimus, cum tu inte-
n nobis multus in ſermone, multus & Nüsle-
s noſter, ad qvem ſuperioribus diebus dedi
ras, & ſimul ad te qvoqve, Frater exopta-
ime. Illæ, ut ſpero, rectè perferentur. Gru-
ianum Panegyricum Venatoris tandem vi-

dimus, egregium librum, & dignum viro maximo, cui datus. Mihi certe ita probavit ſe, ut iterata lectione dignum putarem. Hæc ſcripſi, ne ille politiſſimus vir ad te cum nuda tantum ſalute rediret. Vale Wittembergæ ad d. xx. Febr. An. cIↄ Iↄc xxxiii.

XIII.

Martino Opitio S. P.

NUnc demum ſpirare, & vivere te, Frater deſideratiſſime, & literæ tuæ, & qvod adjunxeras Carmen de Veſuvini montis incendio, divinum illud & dignum planè cùm eruditione tua clariſſima, tùm ingenio, qvod cum paucis comparari poteſt, ſerio tandem me docuerunt. Qva ex re qvantum gaudii ac voluptatis ceperim, ipſe colligere poteris, qvem minimè latet, qvanti te faciam, & qvam amori tuo omnia reliqva longe poſtponam. De Mecænatis tui obitu ex Nüsleri noſtri literis certior factus ſum. Et videtur in tempore plane vivere, hoc eſt, fure-//re deſiiſſe. Magna me expectatio tenet tuarum literarum, qvibus cognoſcam, cuinam deinceps te velis addicere, cum plures ſint, qvi hoc ornamentum patriæ vindicare ſibi conentur. Qvod gratulor noſtro ſeculo, ne planè malignum virtutibus videatur. Qvod ſi in poſterum tuarum rerum ſtatus eſſe poterit, ut tuo // complexu colloqvioqve frui aliqvando liceat, qvid qvæſo, me lætius erit beatiusve? Hymnũ Heinſianum exſpecto indies; ad nundinas autem promixas Lipſienſes videbis, ad me tan-

tandem veniant, qvæ tot te flagitavi vicibus, & tu non ſemel pollicitus es, miſſurum eſſe. Itaqve fidem tuam libera, & nos eorum deſiderio diutius emori ne ſine. Mirum in modum me tibi devincies, ſi patiaris tandem abs te hæc impetrari. Gronsfeldii exercitus à Luneburgicis maximam partem fuſus, ac diſſipatus eſt: ipſe cum reliqviis Mindæ obſeſſus. Sunt qvi & Hamelām interceptam nuntient: & Egram à Vinarienſi occupatam. Qvod ſi eſt, videmur hoc ver paulo qvietius habituri. Interim Dreſdæ de ineunda pace magnis conatibus agitatur: qvo fit, ut de gerendo bello paulò cogitetur frigidius, ſcilicet.

Pectora noſtra duas non admittentia curas.

Optamus qvidem omnes, finis tandem imponi cladibus, ruinisqve patriæ poſſit: tamen, an honeſtam ſatis & tutam hoc tempore pacem conſtituere liceat, valdè dubito. Tu qvam primum, Frater, de rebus tuis prolixe docebis. Mihi enim nihil gratius erit atqve jucundius, qvam intelligere, eo loco illas eſſe, unde & multum emolumenti ac utilitatis in literas patriamqve, qvibus ornandis tu natus es, & dignitatis ac gloriæ in temetipſum redeat, nobis verò gaudendi ac gratulandi qvàm ſæpiſſime naſcatur occaſio. Vale exoptatiſſima anima, & etiam atqve etiam ſalve. Wittebergæ ad d. 26. April. A. C. cIↃIↃcxxxIII.

XIV.
Hen. à Friſen.

CErtò fore ſperabam, GENEROSE NOSTER, ut eà veſperá, qvæ tuum præcededebat diceſſum, ad me, qvod eras minatus, viſeres. Nam qvod ipſemet ante te non acceſſerim, WILHELMI NIGRINI, Amici & Collegæ optimi caſus fecit. Qvi in domeſtica clade me advocaverat, ut dolorem, qvem ex amiſſo filio, qvo ante paucos dies pater factus, conceperat, alloqvendo lenirem. Et te ſeqventi die abiturum facillime aliqvid impedire potuit, qvo minùs ſpei ac expectationi noſtræ ſatisfaceres. Qvod etſi nihil ſuccenſeam, tamen ægerrimè fero, qvod magna ac ſingulari voluptate ſum privatus. Qvæ ex Sileſia iſtis diebus ad me amicus perſcripſerit, qvod addidi ſchedion, te docebit. Hic nihil eſt, qvod te ſcientem facere debeam. Niſi qvod miris modis excrucior abſentiâ tui. Atqve vel ipſæ Muſæ noſtræ videntur nobis minus Muſicæ, ex qvo carendum mihi in poſterum tuâ deſideratiſſimâ converſatione. Sed ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt. Multum verò amabo te, ſi tuæ literæ creberrimè ad me venerint. Idigitur dabis operam, atqve ex animi ſententia valebis, nosqve amabis, qvos certe à tui amore nullus unqvam caſus, nulla ſenectus abducet. Vale, iterum, & ſalve plurimum, *ó vere Generoſe FRISI noſter*, Raptim ad d. XIX. Maji An. cIɔ Iɔc XXXIII.

XV.

XV.

Martino Opitio S. P.

CUm proximis literis Nüſlerus noſter, candidiſſima anima, ſignificaret, brevi fore, ut ex itinere, qvod cum Legatis Principis ad Oxenſtirnium ſuſcepiſſes, nos ſalutares, dici non poteſt, qvantum exhilaratus eo indicio fuerim. Et jam in exſpectando te totus eram, cum ecce deſideratiſſimæ tuæ ſuperveniunt. Ac illæ qvidem priore parte, qva tranſiiſſe te Torga, & jam hærere Lipſiæ, afflicta urbe, mox inde moturum pedem legebam, neſcio, qvid nubili nobis offundere videbantur, ratis, omnem te amplectendi ſpem præciſam admodum eſſe. Mox cum pergendo intelligerem, in reditu tuo te affuturum certò nobis, tantum profecto propinarunt gaudii, ut capiundo vix eſſem, ejusqve adeo pars in amicorum ſvaviſſimum HENRICUM à FRISEN primariæ Nobilitatis Juvenem, qvi te juſto amore proſeqvitur, & ſicut par eſt, æſtimat, derivanda eſſet. Qvo cum ut cætera omnia mihi communia ſunt, ita ad eum tuas illico literas perferendas curabam, qvem non ignorabam maximo deſiderio flagrare te videndi; de cujus generoſa indole, divinoqve ingenio, & inuſitata non tantum in eo loco fortunaqve, ſed ætate, eruditione, qvicqvid dixero, minus erit. Qvo accedit morum lepor, & gravitas. In qvibus ut nihil niſi generoſum, & tanta indole dignum; ita omnis aſperitas faſtusqve longiſſimè abeſt, ut nullo commodiore uti qveas.

qveas. Patrem habet ſummum, ac Nobiliſſimum Virum HENRICUM à FRISEN, Electoris Conſiliarium, & in Curia Appellationum Præſidem. Primum Lipſiæ ſtuduit, deinde cum comite Leidam abiit: ibiqve qvatuor admodum annos egit, HEINSIO, CUNÆO, & cæteris maximis ibi viris familiariſſimè uſus Deinde luſtrata Gallia, Pariſiis aliqvantulum ſubſtitit, Illuſtriſſimorum virorum amicitia receptus. Inde redux Hamburgi GROTIUM τὸν πάνυ allocutus, ita obſtrinxit ſibi, ut amiciſſimis literis ſubinde ejus diei memoriam recolat. Auctores Latinos veteres, omnes Poëtas, Oratores, Hiſtoricos propè ad ungvem tenet: jam in Homero, Euripide, & cæteris ejus Muſæ totus eſt. Scribit & loqvitur pari facundia, nec elegantia diſpari, planè ad genium antiqvitatis. Pangit & verſus, & carmina docta, venuſta, florida: nec deſtituta acuminibus, ſed ſpontè natis. Qvapropter nihil dulcius, nihil exoptatius mihi hactenus ejus conſortio & ſodalitio fuit. Nam crebrò in viſitat me, moraturqve nobiſcum non unam, ſed plures horas, dum inter jucundiſſimos ſermones effluit tempus & fallit. Nec unqvam eum ſine deſiderio qvodam, & ut qvamprimum redeat, voto dimittere ſoleo. Nec tibi injucundum erit, puto, tam egregium mortalem invenire apud me, amplecti, & amicitiâ dignari, qvod unicè optat, & ego promiſi. Cætera coram. Peto autem abs te, Frater, ut qvamprimum tenueris Wittebergam, ad nos properes. Profectò enim omnis vel parva mora

Laudatur carmina

mo-

moleſtiſſima erit. Vale dulciſſimum & deſideratiſſimum caput, & ſoſpes qvam primum ades. Raptim ad d. XIIX. Sept. An. cIɔ Iɔc XXXIII.

XVI.

ODE PINDARICA.

Ad Nobiliſſ. & maximæ ſpei,

ADOLESCENTEM

Rudolphum à Brandt, de Lindavv in Wieſenburck &c.

STROPHE.

RUDOLPHE Brandium genus
Clarum, vetuſtum, nobile, inclytumqve
Qvem ſtrenuo atqve opulento olim
Bennoni felici partu
Butlicia illuſtris dedit,
Invidenda gemma
Matronarum.
Tuo dicata nomini
Hodie (viden?) refulſit
Lux amœna, lux verenda,
Meqve jubet ſolenne tibi
Properare munus, ô dulcis
Cura Muſarum piarum
Et decus olim!

ANTISTROPHE.

Hic ne tibi Indicifero
Prædam profundi, divites ſmaragdos,
Aurumve, qvod rabie dira
Concitat mentes fatigans,
Bellisqve cauſas ſuggerit,

Craſti-

Craſtinum in diem vix
Duraturum:
Habe, ô, tibi, venuſte, habe.
Sophiæ & ſacræ Camenæ
Dædala manu aſciatum
Munus ad ungvem, qvod ditet
Animum manente gaza, æqvans
Numini immortali, ei unde
Manat origo.

EPODUS.

Pulchrum eſt ſangvine ſplendido
Cenſeri, generis cum beat altior
Ortus: ſola tamen neqvit
Dignitas gentis tueri
Illuſtre nomen, qvod ſupra feratur
Vulgi tenebras, proximum aſtris.
Virtutis iſta laus eſt:
Qva nullum æqve præſtans
Excellensqve dedit magis
Bonitas Olympi
Mortalium donum catervis;
Vix divinius ipſemet
Aut majus vidit Æther.
Huc RUDOLPHE mens propera ô
Magno PASCHALIO duce:
Huc intende animum omnem
Strenue dies noctesqve
Mentem ſacro inſtinctus amore.
Videre, ut immortalem
Capiti coronam pollicetur aurato
Præminens throno DEUS?
Carmine applaudens memorabo ſeris

Poſteris

'eris tuum decus, perenni ut
'dis flore ſuperſtet.

Ipſo die Rudolphi Anno 1634.

XVII.

Generoſo ac Nobiliſſimo Viro

Hen. à Friſen. S. P.

Ide, qværſo amiciſſime FRISI, qvam Caſſius noſter rem egerit? qvo ille progreſſus auda- ſit, niſi tu inconſultum amorem vocare ma- Noſtra oratio, qvam meminiſti habitam ſo- nibus proximis VII. Id. Septembr. dum- ɛſdæ in ſanctiore Conſiſtorio, velut Sacrario ſtæ aſſervatur, ne profanos ſcilicet oculos in- ·rat, ecce is eam mihi contemta conculcata- : omni religione Leidæ edit, & toti prope- ɔdum orbi legendam præbet. Qvid dicam, ıiciſſime hominum? Totus cohorrui, cum il- l, qvod miſerat, uſurpare primum oculis cœpi emplar. Neqve enim ignorabam, eadem- ertate vix legi in iſtis oris poſſe, qvâ ibi eſſent ita iſta noſtra. Qvamqvam qvod ſemel fa- ım eſſet, mutare aut infectum reddere non- ſſem. Valde reſciſcere cupio, qvomodo ud facinus interpretaturi ſint Aulici noſtri. am duo exemplaria Dreſdam miſi: alterum Præſidem Metſchium, alterum ad D. Hoë & m in horas expecto reſponſum. Qvicqvid men ſit, mea hic culpa nulla eſt: alterius autem præſtet, nemo ullo jure compelli qveat. Si ominiLegati, cum qvibus profectus es, eam derint, qvæſo reſcribas pro candore tuo, qvem exper-

expertus dudum ſum, de iſto ſcripto noſtro qvid ſentiant. Qvamqvã & aliorum judicia cognoſcere aveam, qvæ ferri audieris. Inprimis Grotii, τȣ̃ πάνυ: qvem ad Conventum profectum, Lipſiâ ſignificatur. Valde doleo non vidiſſe maximum ſeculi noſtri virum. Qvæ ibi agantur, qvid ſuperſit ſpei de pace, etiam atqve etiam abs te peto, nos, niſi id grave fuerit, moneas. De Budiſinæ Civitatis excidio miſerabili jam inaudiſti. Eadem jam & de Gorlicio rumor fert: & heri pervenit fama, Francofurtum ad Oderam deſertum qvidem à Cæſareano milite, ſed poſtqvam igne injecto elegantiſſima urbs deflagraſſet. Qvas ſummus vir P. Cunæus, & Caſſius noſter ad te dedêre literas, cum exemplari orationis noſtræ, qvod editor miſit, una accipies. Cum Cunæi literis ad me, Fabricii qvoqve accepi, qvi Scázontem opuſculo noſtro præfixit. Qvem præclariſſimum dicerem, niſi circa noſtras laudes nimius amore delinqveret. Aſſcripſerat Heinſius qvoqve ſalutem amiciſſimam, carmenqve junxerat, qvod in deſideratiſſimæ conjugis obitũ conſcripſit, divinum plane, ut omnia illius incomparabilis viri ſunt. Cujus literis, de qvibus præter Caſſium Fabricius qvoqve admonebat, qvid factum ſit, neſcio. Qvod ſi perierint, profecto magno theſauro me eſſe privatum interpretabor. Hæc raptim & ſine omni cura ad te volui. Tu *Nobiliſſime FRISI*, feliciter vale, ſalvusq́; redi ad nos propediem, cujus candidiſſimo deſiderio tantum non perimus. Vale iterum decus noſtrum, & tui totius ordinis, qvin

patriæ

patriæ univerſæ, qvæ multum profecto debebit olim inuſitatæ tuæ virtuti doctrinæqve, qvam ipſe nunqvam deſinam amare, colere, admirari. Wittebergæ ad d. VI. Maji An. cIↃ IↃC XXXIV.

XVIII.

Filio ejusqve Præceptori.

S. P. Mi Erneſte,

mi Fili!

MIror vos tam diu abeſſe. Tres ſeptimanæ fuerunt, & nondum reditum paratis. Ac neqve aliqvid interim ſcribitis, qvomodo agatis. Eqvidem magna me ſolicitudo tenet, & per itinera iſta militum metuo, ne qvid vobis factum. Qvod ſi non eſt, omnia ſatis recte ſe habebunt, ſi qvamprimum ad nos reditum maturaveritis. Nam vos diutius abeſſe ſine inſigni ſtudiorum damno, qvod Johannes meus patiur, non licet. Hoc itaqve agetis. Hæc nunc d vos per Nob. Brandium volui, ut ſi alia vehiula deſint, & id illius commodo fieri qveat, er qvem ad vos has ipſas curavi, huic occaſioi manum injiciatis. Fratrem tuum, mi ornaſſime Erneſte, ut officioſe ſalutes meo nomine, : ejus cauſa me omnia facturum pollicearis, eam atqve etiam abs te peto. Valete. Raptiſſimè d. 6. Octobr. Anno 1634. DEUS vobiscum!

XIX.

Eidem.

MIror eqvidem, qvi factum ſit, cur tibi integrum putaveris, tot dies à meis, qvi tuæ mmiſſi fidei, tam licenter abeſſe. Nam ſi

honeſta, ſi neceſſaria cauſa fuit, cur ejus non feciſti indicium? An ego in ulla magna re contra commoda tua laboravi? Sin fuit, cujus te ſuppudere poſſit, cur non potius viſum fuit, brevem ſtultitiam, qvod ille ait, conſiliis miſcere? Enimvero tam diu non ſuæ mentis eſſe, vix qvidem crimine vacare poteſt. Profecto vel ſecuritatem & negligentiam, vel contemtum hoc interpretari liceat. Nam providere nihil eorum, qvæ vel in amorem vel odium adducant, ſocordia & oſcitantia eſt. Sin hæc provideris & feceris tamen, magis proſpiciens, qvid animo libeat, qvam qvid adverſus alios tui officii ſit, hoc certe ejus eſt, qvi ſe ſolum curet, cæteros vero ignoret longe ac plane faſtidiat. Ego ut utrumqve abs te abeſſe volo; ita neutrum tibi imputo. Et qvicqvid hujus eſt, liberaliter ignoſco. Modo id memineris, non eſſe ſemper Saturnalia, nec eſſe ullius tantam lenitatem, cui non moveri aliqvando bilis poſſit. Tu vero recte feceris in poſterum, ſi temetipſum potius, qvam alios audies, cum eo invitant, ubi verſari, aut ſapere in rem vix licet. Wittenb. Menſ. eod.

XX.

ODE PINDARICA.

Ad Generoſ. & maximæ ſpei
ADOLESCENTEM,
Rudolph. à Brandt de Lindavv.

STROPHE.

RUDOLPHE non TE deſinam
Iterumqve iterumqve monere,

Virtu-

Virtute nil majus putes
Diviniusqve vera.
Non qvæ larva inani
Imponit male mendax, atqve fallit
Imprudentiores.
Qvæ noſtrorum hominum modo
Nebuloſa techna eſt. Tu fuge,
O qvantum potes, hoc genus
Vanum, futile, fumeum,
Et perſvade animo tuo,
Hoc laudes adamantinas,
Hoc afferre decus nullo
Fine domandum,
Eſſe, qvod velis videri,
Atqve plus excellere,
Qvam frons prima loqvatur.

ANTISTROPHE.

Numen verere ante omnia
Pius, integer, innocuusqve
Vitæ atqve mentis. Spiritus
Totusqve pura mens eſt,
Hinc & menti tali
Cumprimis DEUS eſt ſanctè colendus,
Non verbis canoris,
Non pompà, qvæ oculos ferit.
Generoſa mater poſt DEUM
Sit, RUDOLPHE, Tibi,
Si me audis, ſtudium alterum,
Tum qvi Doctor adeſt tuis
Annisqve Arbiter optimus,
Ne impingas ſcopulis cymbam
Abl fragilem aſpris,

Plurimos modum in profundi
Vita noſtra qvos habet
Grandi ætate timendos.

EPODUS,

Cœlum colenti caſte & innocenter
Nulla clauditur copia unqvam: Ei
Mella ſudabunt ſilices, & ipſe
Fundet rubus aſper amomum,
Sed nec tangere ſydera
Celſo propius vertice abhorret,
Fauſtis ſub penetralibus
Si cui nato libereqve educto
Cados propinavit undantes
Honeſti & ſapientiæ
Docta, eruditaqve, artifexqve dextra,
Qvæ, Rudolphe, tua eſt ſors.
Fruere, ô tantis, fruere ô dum fas
(Viden ut volucris ætas
Properet nulla revocanda mora?)
Fruere ô theſauris, ſed procul
Protervia abſiet procax,
Faſtusqve, qvi ſolet tentare
Sæpe maximas mentes,
Mores egregios commaculans male:
Vera virtus ſobria & modeſta eſt.

Habe hoc tibi, Rudolphe, Carmen votivum munus, qvo de reverſis feliciter nominalibus gratulari tibi volui; ſimul & *C. Tacitum*, multo graviſſimum & prudentiſſimum, nec unqvam ſatis dilaudandum ſcriptorem: unde aularum Regnorumqve artes haurias, non ut exerceas omnes, (hoc Deus avertat!) ſed ut intelligas, at-

qve

ſic internoſcas, deteſteriſqve atqve cave-
ne aut ipſe circumveniaris, aut alii, qvibus
ıs te olim aſſiſtere volet. Magna de ado-
entia tua concepta omnibus ſpes eſt: qvo-
:a enitere, ut impleas eam non modo, factus
ſed ut ſuperes qvoqve. Aliis in ſecundis
tertiis hærere ad laudes ſatis eſt: Te in ſum-
eniti oportet, qvi & tali loco natus, & iis
:ſidiis inſtructus es, ut tibi integrum non ſit
ıi qvam inter primos numerari. Deum pre-
, ut generoſa conata tua adjuvet, & proſpe-
bene. Nemo enim magnus absqve Deo
ɿvam fuit. Scribebam ad d. XVII. April. A.
riſti 1635.

XXI.

Generoſo Domino

HENRICO à FRISEN

S. P.

[On poſſum invenire verba, qvibus geſti-
entis in reditu tuo animi ſenſa exprimam.
ɔſti naturam impenſe gaudentium: nec ſatis
: magnus affectus eſt, qvi per verba & voces
:ri poteſt. Gratulor tamen tibi, GENEROSE
ƆMINE, & lætor patriæ cauſa, qvæ nunc te
bet ſibi, & peregrinationis ſtudiorumqve
ɔrum clariſſimorum fructus ſibi vindicare
natur. Nec tu ignoras, qvid ei debeas: Et
o non per parentis veſtigia, tuarumqve vir-
tum excellentiam tibi aditus patet? Ego vero
e beatum ducerem, ſi tanti amici collum in-
dere liceat, ſi à narrantis ore pendere, qvæ
diſſes, audiiſſes, an etiam didiciſſes? Sed iſtud

non adderem, niſi ſcirem, te non exiguo tempore cum illo oraculo humanæ ſapientiæ HUGONE GROTIO fuiſſe, qvem & doctiſſimos docere aliqvid ſemper poſſe plane exiſtimo. De rebus noſtris in Saxonia inferiore non ſatis felices afferuntur nuncii: qvos ego falſos eſſe opto. Qvicqvid ſit, id multis ſuſpicionem injicit cujusdam imminentis periculi, qvod mandata allata ſunt, ut qvisqve civium tantum frumenti & copiarum aliarum ſibi comparet, qvantum in annum unum familiæ ſuſtinendæ ſufficiat. Deus in hoſtes omen! Qvæ hic mitto munuſcula, oro, ut boni conſulas. Sunt enim levidenſia, & craſſo filo. Qvalia ſcilicet in iſta officina concinnari ſolent. Habeo nonnullos libros ex Bibliotheca tua: de qvibus, opinor, amantiſſimus tui frater Carolus ſcripſit. Amanter peto abs te, ut id cum venia tua fiat, ſi eos ad tempus aliqvod adhuc retineam. Redibunt ad te nihilo deteriores, qvam venerunt ad me, & cum prolixa gratiarum actione. Vale, *Generoſe Vir*, amice magne, & optimum ac nobiliſſimum Parentem tuum officioſiſſima ſalute meo nomine imperti. Wittenbergæ ad d. XXIX. Octobr. A. CIↃ IↃC XXXV.

XXII.

Generoſo Viro

HENRICO à FRISEN

S. P.

DE Syneſio Sixtoqve noſtro cauſa non eſt, cur te excuſes, amice ſumme. Qvos ea

miſi

lege, ut tecum ſint, qvamdiu aut ipſe veliſ
ıere, aut illi alicui uſui eſſe qveant. Demo-
i locus in Grotiano Codice, qvi ex prima il-
præſtantiſſimi operis editione penes me eſt,
us comparet. Adjectus fortaſſean ſecun-
urâ. Cæterum dubitare non debes illius
leritani Democriti eſſe, qvem nonnulli vo-
: oculorum luminibus ſe ſponte privaſſe,
Gell. l. X. C. 17.) qvod tamen in dubium vocat,
lius [*l. V. de finibus*] Fuit duabus rebus ma-
è nobilis. Primo qvod perpetuo irridere
tus rerum & actionum humanarum vanita-
; in qvo rectius feciſſe *Seneca* [*de Tranqvil-
nimi c. XV.*) eum exiſtimat, qvam Heracli-
ı, qvi eas perpetuò deploravit: qvanqvam
ſatius putet ferre placidè, & neqve in riſum,
ve in lacrymas excidere. Deinde qvod
imonii & poſſeſſionum ſuarum curam abje-
)rorſus, ne qva res eum ſapientiæ ſtudiis,
ous totum ſeſe dediderat, revocaret: qvod
ificè Cicero prædicat & laudat non uno in
o. At verò S. P. Q. Abderitanus id morbi
us inſaniamqve interpretatus eſt. Qvam
cauſam & principem Medicorum *Hippocra-*
ı invitavit literis, ut nobiliſſimo civi mede-
ır. Qvi cum ad eum profectus univerſam
ı ſicut erat, exploraſſet, reſpondit Abderi-
is, ſe non modo nihil inſaniæ inveniſſe
)emocrito, ſed & divinam ejus ſapienti-
non ſatis poſſe admirari. Gratularentur
i de civi tanto, & ita exiſtimarent, male de-
ere ac infeliciter, qvi id de Democrito ſibi

perſvaderent. Habetur illud negotium in Epiſtolis Hippocratis, qvas in calce operis leges. *Vitam Democriti* perſeqvutus *Laërtius* eſt: qvi & ſcripta recenſet: qvæ tamen maximam partem periere. Neq; enim qvicqvam hodiè præter fragmenta, qvæ paſſim citantur à Græcis Scriptoribus, Stobæo, Plutarcho, aliis, exſtare puto. Aliqvot tamen epiſtolæ ejus adhuc integræ, ni fallor, ſuperant, qvas in Græcarum Epiſtolarum corpore, qvas Philoſophi dedere, vidiſſe memini. Qvæ ideo ſcribo, non qvod te lateant hæc, qvæ illevi chartis, ſed ut epiſtola noſtra pingvior habiliorqve ad te veniret. Sopatri locus apud Stobæum exſtat *ſermone* XLIV. ubi plura ejus adducuntur ex epiſtolà ad Hemeterium fratrem *de rectè adminiſtrando magiſtratu*. Ipſa verba in ultimis qvæ laudantur ibi, invenies. De eo *Suidas* ita ſcribit: Σώπατρος Ἀπαμεύς. Σοφιστὴς καὶ φιλόσοφος, μαθητὴς Ἰαμβλίχου. ὃν ὁ καῖσαρ Κωνσταντῖνος ἀνεῖλεν, εἰς πίστιν τοῦ μὴ ἑλληνίζειν ἔτι κατὰ τὴν θρησκείαν, ἦν γὰρ αὐτῷ συνήθης πρότερον, ἔγραψε περὶ προνοίας, καὶ τῶν παρὰ τὴν ἀξίαν εὐπραγούντων ἢ δυσπραγούντων &c. Meminit & aliorum eo nomine, ſed qvi huc nihil pertinent. Itaqve ut ſunt, relinqvo. Abs te autem peto, ut incomtæ huic ſcriptioni ignoſcas, qvi hæc temere & raptim nimio exaravi. Ita vale decus noſtrum, & me ama. Wittembergæ pridie Kalend. Januar. Anni cIↄ Iↄc XXXVI. qvem tibi totiqve familiæ tuæ nobiliſſimæ felicem ominor & fauſtum.

XXIII.

XXIII.

Nobiliſ. R. à Brandt.

EST qvidem pro pace nitendum aſſidue, ſit tamen, ut & gerendi belli neceſſitas olim incumbat. Ne inferamus vim atqve injuriam, cavere poſſumus; ut alii faciant officium, præſtare ſemper haud poſſumus. Magna non modo hominum ambitio animis, ſed petulantia qvoqve non raro ineſſe ſolet: qvæ qvo paratior opibus, hoc pronior certe ad injuſtitias ferri conſvevit. Qvocirca tueri fines qvandoqve, aut recuperare ademta armis, qvandoqve vindicare injurias, & majeſtatem oportet aſſerere, ne hac prolapſa cætera ruant. Qvamobrem cum in utrumq; conſulendum ſit, qvi reipubl. præeſt, aut iis aſſiſtit, qvi præſunt; non modo regendæ pacis artibus, ſed & ſcientia gerendi belli inſtructum eſſe decet, qvi publico ſeſe natum putat. Non tam ut ipſe verſetur in campo & acie, (qvanqvam & illud patriæ cauſa non detrectandū) qvam uti moderetur arma ac temperet, veluti mens ac ratio corpus regit: & qvaſi in ſpecula poſitus provideat omnia ac circumſpiciat, qvæ aut obeſſe rebus, ut caveat, aut & conducere poſſint, ut tempeſtive ſuſcipiantur. Nam multa in bellis peccari ſolent, non tam ignavia ſocordiaqve, ſed imprudentia atqve inſcitia. Neqve enim ſapit ſtatim ſatis ad ſummam rerum, qvi ſtrenuus maxime ac promtus manu: ſed ſæpe virtutem ac multitudinem calliditas vicit. Habe itaqve tibi, RU-

DOLPHE BRANDTI, his nominalibus tuis, qvæ fauſta tibi ac felicia ſint, ſolenne munus.

Fl. Vegetium Renatum.

& alios aliqvod ei adjunctos, de *Militia* ac Romanorum cumprimis, antiqvos ſcriptores. Nam cum eo loco ac ordine natus ſis, cujus præcipue eſt, adeſſe Principibus, pacisqve ac belli tempora gubernare non minus qvam alii, unde civilem prudentiam hauris, hic commendatus tibi liber eſſe debet, unde qvam optime univerſam bellorum rationem, procul periculo atqve diſcrimine diſcere potes. Tanto enim Romani militari virtute atqve ſcientia præſtiterunt gentes reliqvas, qvanto majus ſibi pararunt imperium hac arte, qvam alterius ullius populi unqvam fuit. Tu boni conſule, qvicqvid munuſculi eſt, & id, qvod facis, contende ſedulo, ut nobiliſſimæ gentis decus tuearis non modo, ſed nova gloria ſubinde augeas, ac ſatisfacias adeo tum Matris illuſtris, tum noſtræ omnium expectationi, qvi magnum præſidium & ornamentum patriæ jam olim ab ingenio virtuteqve tua cœpimus polliceri. 1636. d. 23. April.

XXIV.

Rudolpho à Brandt.

MI Nobiliſſimæ R. qvantum lætitiæ mihi ac voluptatis literæ tuæ, tantum doloris moleſtiæqve Bücheri noſtri attulerunt. Nam cum cætera qvidem recte habere ſe ſignificaret, (qvod gaudebam eqvidem veſtra cauſa) tum illud plane lapithes mihi loqvi videbatur, ubi ſcri-

ebat, te qvandoqve mordere frenum, & ra regentis luctari manum. Mi Rud. noli , ut talia animo tuo collibeant, & cave, ne ætatis prima fax verba tibi det, mihi vero n illam, ut ita dicam, exurat, qvam jam olim : concepi. Præſt ille tibi maternis auſpicitaqve eum rejicere non potes, niſi una & rem ipſam contemnas. Abſit vero, ut æ impietatis crimine obſtringere adoleſcenn tuam velis. Noſti, qvæ te non ita pria pro ea fide ac ſtudio, qvo te complexus per ſum, monui. Et qvid tu ad ea reſponis, imo receperis, non eſt, qvod moneam teſcientem. Qvapropter nunc te conve-, & jure qvodam abs te poſtulo, ut præſtes ad qvæ te ipſe allegaſti, ut facta verbis conant. Qvid enim attinet, me elegantes, aut næ ſpei plenas literas accipere, niſi & cætera ſpondeant? Ego te per Deum immortalem, r optimæ matris ſpem, per tuam ipſius ſalum obteſtor, qvæſoqve ac rogo, ut ſubinde regites, qvid tui muneris ſit, qvid nobilem hominem cumprimis ſtudere oporteat. Vulgi & ebis eſt inſervire libidini ac indulgere affectis; ille nobilis ac generoſus, qvi ratione obſevitur, & recti honeſtiqve amorem perpetuo rvat. Qvem toto tempore uti concipiet, ſi ſe ſibi non ſufficit, libenter alios audire, ac iis bſeqvi debet, qvi eo ducunt. Plura volebam, d iniqvis ſpatiis excludor. Ego vero facile gnoſcam errori tuo, ſi eum in poſterum bona mendaveris fide. Vale *mi Nobil. Rud.* & ſi

me

me amas, imo ſi teipſum amas, perfice mihi ea, qvæ in præſenti abs te petii, non alia cauſa, qvam ut tibi prodeſſem. Raptiſſime ad d. xxx. Junii. Anno cIↄ Iↄc xxxvi.

XXV.

Generoſo ac Nobiliſſimo
VIRO,

HENRICO à FRISEN
S. P.

ANte omnia purgandus tibi de ſilentio ſum. Qvod qvia ſtatim in tuarum principio, „qvanqvam ſine omni acerbitate, qvæ nihil cum „abſolutiſſimis moribus tuis commercii habet, ſubaccuſare proxime viſus es, non aliunde, opinor, qvàm ab ejusdem excuſatione, mearum initium ducere oportet. Ac fateor qvidem, dudum me reſpondere debuiſſe ad illas, qvas amantiſſimo fratri, CAROLO noſtro tradideras; ſed id qvo minus expedierim hactenus, & recidivi morbi importunitas, & qvæ mox conſeqvutæ deſtillationes diuturnæ ſunt, ſive catarrhi, cumqve iis conjuncti langvores effecerunt. Qvi, ut fieri ſolet, non afflixerunt corpus tantum, ſed animum ipſum qvoqve debilitarunt; & ſicut aliarum rerum, ita ſcribendi & commentandi etiam pigritiam induxerunt. Nam de occupationibus meis nihil nunc dicam, qvæ licet circa res non ita arduas ac graves verſari ſolent; tamen vix unqvam vacationem aliqvam ſolidam nobis relinqvunt. Accedit humanitatis tuæ opinio; qvam qvo majorem recogita-

itabam, eo impunius me indulgere ſomno
ıeo poſſe exiſtimabam. Nec nunc, ut ſpero,
tuis abibis moribus: & eà ipſâ comitate igno-
es nobis, cui confiſus temere hoc qvicqvid
elinqvere non dubitavi. Placebo tamen,
IENRICE, in poſterum, ſi me hanc culpam e-
ıendare permiſeris: qvod qvidem, ut facias, e-
am atqve etiam abs te peto. Habes, qvæ pro
ıe & ſilentio meo putavi dicenda: nunc ad cæ-
:ra reſpondebo. Qvereris autem nec leviter
lud, de vitæ præſentis conditione: qvæ tacita
biac obſcura in otio, aut ea certè inter nego-
a tranſeat, qvæ nihil ſerium, nihil illuſtre ha-
eant: atqve dejiciant animum potius, ac infra
ɔes ſuas deprimant, qvàm ad easdem attollant
c erigant: cum contra ea, ſi tibi daretur copia
eregrinandi per oras externas, & converſan-
i cum viris maximis, qvibus Italia, Gallia,
ɛlgium ſe effert hodiè ac jactat, non modò fu-
urum ſperes, ut aliqvam gloriam & famam
ircumfundas tibi, ſed & ejusmodi ſcientiæ in-
trumentum compares, unde impoſterum ali-
qvantò melius actæ ætatis ratio conſtare poſſet.
Non mihi ignota eſt animi tui generoſitas: &
ıic ſe maximè exerit, ſpectandamqve præbet.
Nam qvid degenerem abjectamqve mentem
lliud magis arguit, qvam deſidere domi, pa-
umqve penſi habere famam, & acqvieſcere in
is libenter, qvæ in præſenti ad manum ſe cun-
qve dederint, nec ultra magnopere tendere ac
ıiti? Maximi qviqve ac cœleſtes animi emicant,
& dedignantur tenebras, & ſupra vulgus emi-
nere

here cupiunt, idqve omne ſe parum dignum exiſtimant, qvod ſe cum aliis habituros commune intelligunt. Qvapropter tantum abeſt, ut reprehendendam hanc voluntatem tuam ſtatuam, ut potius præclara te laudandaqve petere putem. Utrum vero hæc ratio tua tempeſtiva ſatis ſit, de eo videndum tibi maximè eſt. Nam ſicut magni ac ſublimis animi eſt, ingentia cupere: ita prudentis & cauti, nihil velle temere, & tempori inſervire: modeſti veré ac pii, cedere illis & obſeqvi, qvos verendos nobis colendosqve DEUS ipſe ac natura præcepit. Multum qvidem momenti habet & ad parandam gloriam nominis, & ad conciliandam prudentiam animo, multorum mores populorum, & urbes vidiſſe, atqve cum peritiſſimis cujusqve gentis doctiſſimisqve eſſe verſatum: ſed illud ſupra modum cupere, qvaſi ibi ſumma maximaqve felicitatis pars eſſet poſita; aut alieno, nec ſatis commodo tempore, vereor, ne ejus potius ſit, qvi impotenter ſuis incumbat votis, qvam moderati ac ſapientis. Vides ardere bellis circumcirca omnia; interea universa ac vias aut eſſe inſeſſas armis, aut latrociniis infeſtas. Tam præſenti diſcrimini igitur ſe credere temerè, & præfidenter tot periclitari caſus, an tibi id integrum fore exiſtimabis? Nunqvam hæc tibi libido veniat, HENRICE, ut tàm periculoſam aleam jacere velis, & tantæ tempeſtati objicere caput, cum cujus ſalute tot hominum vota, & magna felicitatis publicæ ſpes connexa & copulata eſt. Cujus profectò velis nolis te rationem habe-

abere oportet, ſi aliorum voces prætereundas bi cenſeas. Itaqve finge, aſſiſtere tibi patri-n, & manus tendentem te obteſtari, ne tibi ideare tam vilis, ut incertæ ſapientiæ genus ꝫrto periculo emas. Viſum tibi non modò elgium, ſed habitatum prope eſt: luſtratæ Gal-æ bonam partem: cum maximis ſeculi viris on modò notitia tibi eſt, verum & uſus inter-ꝫſſit. Qvo facilius modum pones cupidini ıæ, ſatius fore exiſtimabis, vel mediocria ſape-: (qvanqvam profectò neqve nunc qvic-vam mediocre eſt, qvod hujus tenes) cum oſſis carere diſcrimine, patriæqve adeſſe; qvam i omnem propè adimere tui ſpem, dum tot rocellis committis te, ut venias ab ſumma, & on tàm aliis, qvam tibi ipſi facias ſatis. Non ic commemorabo difficultates alias, qvas cer-è non paucas & ſatis graves hæc noſtra condi-o temporum tuo propoſito videtur afferre. Ɔvas omnes qvantumvis perrumpendi ac ſu-erandi non parum ſpei reliqvum ſit, tamen oluntatem parentum contra, qvæ tua pietas ſt, ne voles unqvam aliqvid, nedum conten-es. ApudLactantium, opinor, legiſti, *non eſſe vera patres & genitores noſtros, qvod audiunt, d DEI miniſtros potius, at optiones veluti, per vos & ſibi producat filios, & iis curet.* Cum aqve illi legati qvidam Dei atqve vicarii ſint, c procuratores; ita habendum, qvodcunqve li prædicunt ac ſvadent, non tàm per ſe id fa-ere, qvàm ejus imperio auſpiciisqve, cujus no-ıine præſunt. Qvare Menander *Diis ipſis male-*

maledicere, ait, *qvi maledicunt parentibus: qvod hi Deorum adminiſtrent vices*: & qvicunqve de officiis hominum præceperunt, primò de eo, qvod Diis; ſecundò verò, qvod parentibus debetur, docent. Nam ſicut origo vitæ debetur Deo: ita divinum illud munus parentes in nos derivant. Qvocirca ſicut merito proximi, ita honore & officio etiam eſſe debent. Mihi qvidem dubium non eſt, parentes ſæpius filiorum voluntatibus, qvantumlibet honeſtis ac maxime licitis reſiſtere, non tàm conſilio, & certâ ratione aliqvâ, qvam Dei inſtinctu. Qvi velut amantiſſimus noſtri eſt, ita non in præſens tantum, ſed in futurum qvoqve providet, & curam noſtri agit. Qvare cum proſpicit ille ac cernit ejusmodi qvid agitare filium, qvod ei futurum exitio ſit; & magnam importaturũ peſtem, ſic regere parentum animos & gubernare ſolet, ut nullis moveri ſe rationibus patiantur, qvo qvidem in filii deſideria conſentiant: ne per futuri imprudentiam, qvæ propria ſemper mortaliũ generi fuit, in eas calamitates ac clades præcipitet, unde emergere & eluctari poſtea non qveat. Præclarè, nobiliſſime HENRICE, & religioſè videris facturus, ſi idem inducas in animum, & iſtam parentum voluntatem, non tàm ad ipſos, qvàm Deum & providentiam referas, qvi te hac ratione magnis caſibus, qvibus implicari poteras, voluit exemtum. Nihil profectò ad tranqvillandum animum & perturbationes coërcendas magis facit, qvam in omnibus

bus, qvæ accidunt; ad Deum reſpicere, atqve in voluntate ejus leniter acqvieſcere. Et placuit mihi ſemper illud Socraticum impenſè, ὦ κρίτων ἐι ταύτῃ τοῖς θεοῖς φίλον, ταύτῃ γινέσθω. Item illud Poëtæ, qvod in omni incepto recogitandum diligenter Epictetus monuit:

Ὅςις δ' ἀνάγκῃ συγκεχώρηκε καλῶς,
Σοφὸς παρ' ἡμῖν, καὶ τὰ θεῖα ἐπίςαται.

Abſit ut tàm infelix patria, & tam exemplis bonis vacua ſit, ut nullam eminentem virtutem ac ſapientiam alat amplius, qvæ & incitamento aliis, & documento eſſe poſſit enitendi in ſumma. Licet fortaſſe tanta elegantia literarum cultusqve ingeniorum, vel & acumen qvoqve in noſtris non eſt; at verò faſtidiendos idcircò prorſus & tranſalpinam ſapientiam mirandam tantum, nec ipſe concedes. Nam & in eqvo generoſitatem magis ac robur, qvàm phaleras æſtimamus. In ædificio qvoqve non tam picturæ ac teſſalata opera, qvàm ipſa commoditas ſpectatur. Ac ne cum ſupercilio perpetuo loqvi videar, neſcio qvis Poëta ait, non nimis ſeverè, *placere vel ſpolaita potes.* Itaqve & nos in ſapientia ac virtute ipſas potius, qvam ornamenta earum amare decet & ſeqvi. De ſervis rei ruſticæ ſcriptor monet: *velocitas*, inqvit, *proterrit in facinus, ſegnities figuram benignitatis imitatur; & tantum recedit ab agilitate, qvantum receſſit à ſcelere.* Non adimam laudem veritam viris magnis; ſed vereor, ne illud ipſum cum qvoqve habeat, cum de noſtrorum & externorum ingeniis diſceptatio eſt. Qvi licet,

celeritate ac acrimonia præſtiterint; à noſtris tamen probitate ſuperantur. Fitqve adeò, ut illos callidos verſutosqve magis, qvam verè prudentes exiſtimare oporteat. Fallunt nòn raro ac imponunt nobis, qvæ in longinqvo poſita ſunt: tenetqve jam olim humanas mentes hic morbus, ut contemtis domeſticis, in peregrinis ſtupeant, & juxta Petronium

Id qvod qværitur, optimum putetur.

Diu eſt, qvod hoc erroris genus perſtrinxit Pindarus; nec aliò ſpectant hæc diſertiſſimi viri verba: *Ad qvæ noſcenda iter ingredi, trāsmittere mare ſolemus, ea ſub oculis poſita negligimus; ſeu, qvia ita naturæ comparatum eſt, ut proximorum incurioſi, longinqva ſectemur: ſeu, qvod omnium rerum cupido langveſcit, cum facilis occaſio eſt.* Sed demus maximè, eſſe in exteris plures, qvi noſtros homines, etiam qvos imprimis miramur, cùm ingenio, tum virtute etiam ac ſapientiâ ſuperent; dum tu concedes nobis, hanç gloriam ipſos, non tàm peregrinationibus perpetuis atqve diſcurſibus, ſed felicitate naturæ, & indefeſſo ſtudio induſtriaqve & ipſa adminiſtratione negotiorum conſecutos eſſe. Qvod ſi eſt, qvid aliunde, HENRICE, labores petere, qvorum domi tibi copia eſt; & cum periculis maximis laboribusqve emere, qvæ tibimet ipſe præſtare qvotidiè potes? Noli tam abjectè atqve humiliter ſentire de te, ut per te ipſum in ſummum culmen eniti deſperes, in qvem natura tàm liberaliter ac benignè tot invidendas dotes congeſſit. Id certę ingenium nactus es, qvod maxi-

cima qvæqve alibi provocare poteſt. Acce-
:ontemtor voluptatum, & qvadam ſevera-
galitatis lege ſubactus animus, ut proculca-
is rebus, in qvibus juventus noſtra & oble-
e genium cumprimis, & florem ætatis per-
e conſvevit, totum te literis, iisqve ſtudiis
leres, qvæ, qvò remota longius à ratione
gi, hoc propius ad ſapientiam admovent at-
adducunt. In qvibus tu eos feciſti pro-
ius, ut illis qvoqve palmam ambiguam faci-
qvi conſenuere inter has curas, atq; id unum
lerunt operam, ut docti haberentur. Eqvi-
n ita cenſeo, non poſſe hodiè aut comtioris
perfectioris prudentiæ genus, qvàm ex ve-
ım libris addiſci, ſi qvis hos diligenter ver-
& cum judicio tractet, & inter legendum
inde reſpiciat ad ea, qvæ nunc geruntur
blice, & cum præſentibus antiqva conten-
. Qvin & non rarò ipſe interſit negotiis, ſi
n, ut agat ſemper & gerat, tamen, ut admini-
antibus aſſit, conſiliisqve participet, & omnia
ò, qvæ videt & audit, ſub examen qvaſi cen-
amqve vocet, atqve ad ea exigat, qvæ ha-
nus legendo obſervavit. Nam qvi egredi-
tur nunqvam ſcholas, & nullum rerum uſum
i habent, licet eadem legant & volvant, ta-
n nihil conſeqvuntur aliud, qvam ut vel e-
diti vel diſerti evadant; ſolidioris enim pru-
ntiæ vix eſt, ut aliqvid conſeqvantur. Lon-
aliter vobiſcum comparatum eſt, qvi nati
is publico: nec unqvam ab eo ſeducti tam
ıgè, ut prorſus privatos habere oporteat. Ap-

 pello

pello conſcientiam tuam, HENRICE, an tu miraculum ſeculi, GROTIUM, an alios, qvos nominare non attinet, qvibus hæc ætas tamen gloriatur imprimis, aliter profeciſſe cenſes? Qvid itaqve tibi præcluſum putes, in qvod faſtigium ipſis aditus aſcenſusqve patuit, cùm eâdem, qvâ illi, & ſis graſſatus viâ hactenus, & nunc aſſiduè graſſeris? Qvos Græcos Latinosqve ſcriptores non ita legiſti hactenus, ut penè memoria teneas, Poëtas, Oratores, Hiſtoricos, qvin ipſos Philoſophos qvoqve? Peregrinatus per Gallias, Belgiumqve es: Contraxiſti uſum cum eruditiſſimis qvibusqve ibi & maximis viris: Patent tibi aulæ qvotidiè, qvos patria habet, principum: in qvibus nemo aliqvo habetur loco ac numero, qvi tecum amicitiam jungere non in felicitatis parte ponat: nec unqvam cum iis potes congredi, qvin de graviſſimis rebus negotiisqve diſſerendi copiam habeas, ac ita & acuendi ingenium, & inſtruendi. De patre autem tuo qvid dicam, qvi qvò diutius in noſtrâ verſatus Republ. eſt, & tot perfunctus negotiis maximis honoribusq́;, eò majorem qvoqve earum rerum comparavit ſibi peritiam, in qvibus civilis viri officia cum maximè verſantur. Itaqve nec horam unam cum eo vivere poteris, qvin diſcas aliqvid ac haurias, qvod impertire olim patriæ cum commodo ac emolumento ejus poſſis;

- - - - - - - *Navibus atqve*
Qvadrigis petimus benè vivere: qvod petis hic
Eſt Ulubris, animus ſi te non deficit æqvus. (*eſt*,

Et

ſta qvidem hactenus. Qvæ non hoc fine
tinavi ad te, ut qvicqvam præciperem, aut
m monſtrare vellem multò melius callenti;
ut ſilentii culpam veterem novâ garrulitatis
ptæ exteram: & tu deinceps me negligentiæ
cribendo ne accuſes temere, ex qvo confuſa
onditaqve hac ſcriptione ſatis moleſtiarum
aſſem. Nunc pro marmoribus Arundelia-
, qvæ cum Petronio Burdelotii remitto, ma-
ıs ago gratias, qvod mihi tamdiu eorum u-
n tàm liberaliter concedere voluiſti. Schot-
n *de imitatione* retinui, qvem ſi in mea jura
nſire poſſes pati, ea lege, ut alius pro eo li-
ad te veniret, magnopere me tibi eſſes ob-
ſturus. Sed ſi id fuerit moleſtum, noli diſ-
ıulare: ſoleo libenter reddere, qvæ alii li-
nter dederunt utenda. De Appiano dabis
ıiam: nam neqve in meâ Bibliotheca, nec in
ius alterius, ac neqve in Bibliopoliis publicis
ısmodi exſtat exemplar, qvod & Græcum re-
æſentet textum, & verſionem latinam qvo-
e adjunctam habeat. Sed verſionem tamen
beo: ſed qvâ qvotidiè mihi uſus eſt, Cæſa-
ı *de bello Civili commentarios* interpretanti.
ıqve qvod eam tibi dare veniam non potue-
im, benignè ignoſces, & me amabis. Wit-
tenbergæ ad d. III. Auguſti, Anno
cIↄ Iↄc XXXVI.

XXVI.

Nobiliſſimo Domino

Hen. à Friſen S. P.

DUdum ad te debebam dare literas, *ô decus noſtrum*, NOBILISSIME HENRICE: ſed ecqvid aliud poteram, pene, qvàm infinitas qverelas texere, qvas & audire moleſtum tibi, & mihi ſcribere peracerbum eſſet? Dicas, & illud debuiſſes tamen potius, qvàm ſiluiſſes prorſus. Sed qvotusqvisqve in magno dolore vocem habet? Ac impar omninò, qvicqvid hujus eſſem ingreſſus, omnis ſi fuiſſet ingenii vis, qvæ alias in me perexigua eſt, enumerandis his tantis patriæ malis. O mi HENRICE, an atrociora & magis triſtia ab ipſis Scythis & Saracenis exſpectaremus? Et talia deſignant tamen, qvi religionis nomen ſuis armis obtendunt; Sed neqve lacrymis neqve qveſtibus qvicqvam profecimus.

Res turbidæ conſilium, non fletum expetunt.

Et ita nos ſemper comparavimus, ne abjiceremus animum humiliter; ſed vel contra fortunam ſpei in ſiſteremus. Tantumqve abfuit, ut iſte impotens turbo nos à Muſarum conſortio avelleret, ut ſtimularet potius atqve incenderet arctius cum iis ac familiarius converſandi. Neqve enim præſentius aliud & efficacius ſolatium novimus in tali tempore, qvàm qvod à literis conſvevit peti. Cæſaris *Commentarios* nunc abſolvi tandem. In qvibus me ita tractavi,

ut

on tantum dictionem excuterem, Hiſtori- explicarem, Antiqvitates evolverem; ve- i etiam ut in conſilia eventusqve rerum in- erem, atqve qvid rectè aut ſecus factum, igarem. Non diffiteor, me magnam ten- : aleam; audendum tamen fuit, viden- aqve qvousqve hebes iſthæc ingenii noſtri s pervenire poſſet. Ac licet ſæpius errare tigerit ac falli, (& qvomodo aliter fieri erat?) imò ut verius dicam, ineptire: inte- tamen juvit mirificè, mihiqve & auditori- meis jucundum fuit, videre, nihil novi pati hodie; eadem fata & mala eadem pre- re nos, qvæ tot ante ſeculis genus vexarunt narum; eosdem terrores, easdem clades ſaſſe Romanos ſub Pompejo & Cæſare, de- bus nunc qverimur; ut in eorum rebus no- rum temporum perfectam imaginem liceat templari. Qvod etſi penitus dolorem & ritudinem animi tollere atqve extingvere n poteſt: multum lenit tamen ac mitigat. ocatur enim animus hac commentatione at- e abducitur, ut, dum in alienis malis occu- tus eſt, domeſticorum oblivifcatur fermè, & s vacare doloribus haud poſſit. Nunc in- rentiô toti ſumus, qvi incredibili elegantia monis & venuſtate ita capit ac ducit, ut n tam Wittenbergæ ac in Saxonia, hoc eſt, in- terrores perpetuos ac turbas; ſed verò in- ediis Athenis, atqve in illa ipſa hortorum um- a videam agere ac deliciari, à qvibus ſum- um ſibi bonum audebat promittere Gargetti-

us ille Sapiens, qvod qvidem in voluptate ſtatuebat; non belluina illa atqve impura; ſed caſtiore iſta atqve cœleſti, qvæ tota demulcet animum, diviniorem noſtri partem. Itaqve ſicut ex Cæſare didicimus, qvanta prudentia, qvantaqve virtute eſſet opus, ut ſatis feliciter adminiſtrentur bella; ita nos in præſenti docet Afer dulciſſimus, qvæ vitæ communis ratio ſit, qvam variis atqve diverſis ingeniis moribusqve homines in pace degant. Qvos qvidem qvi callidè noverit perſpexeritqve, næ optime ille, opinor, componet & ordinabit ſuos. Sed & dicendi præcepta nunc tradimus privatim, Ariſtotelem ſecuti potiſſimùm, Magiſtrum unicum in iſto genere, uti ad ea ſeſe exerceant noſtri. Neqve ut ſpero, ſine fructu: Si intendere ingenium, & adhibere ſtudium voluerint. Nam magna induſtria curaqve opus eſt, ſi qvis ad aliqvam eloqventiæ laudem proficere velit. Qvod qvidem CAROLUS tuus ſtrenuè agit. Ecqvid placuerit ejus oratio, qvam accepiſſe te arbitror, valde cupio ſcire. Mihi qvidem pro ſumma illa ſpe, qvam de illo concepi, mirificè ſatisfecit. Qvod & ſcazontibus illis teſtatus ſum, qvos ad Generoſum Dn. Parentem veſtrum præſcripſi. Qvi, vereor, ne μετέωροι tibi videantur, nubesqve ac inania captare, qvos ego ſublimes hactenus & grandes potui putare. Qvicqvid ſit, evolarunt ſemel de ſinu noſtro: habeant itaqve fortunam ſuam, qvam ſibimet ipſi ſunt fabricati. Nobis nunc integrum non eſt emendare ipſorum culpas.

Ha-

Habes ſatis verboſam epiſtolam, *Nobiliſſime FRISI,* ſed qvomodo aliter potui, qvando id voluiſti? Nunc exſpecto de rebus tuis cognoſcere, qvid agas, qvid ſtudeas, qvid, ut Varroniano verbo dicam, *muſineris*, qvid patria, qvid ſeculum noſtrum, qvid ipſi de tuo ſummo ingenio, de virtute incredibili, de inuſitata eruditione nobis debeamus mittere? Qvæ uti maxima ſunt, ita impatientiùs ferimus ea differri. Nos hoc unum optamus,& cupimus, & precamur aſſiduè, ut te propediem videamus in eo culmine, qvod tu virtute tua tenere jam olim meruiſti. Vale, *Nobiliſſime Domine*, & nos pro tuo antiqvo more ama. Raptim Wittenbergæ, ad d. VII. Martii Anno 1637.

XXVII.

Clariſſimo Viro

JOHANNI RAVIO S. P.

JOACHIMO HAGMEIERO, *eruditiſſimo Iuvene*, hactenus familiariter uſus ſum. Namqve poſt cæteras eximias dotes animi, & moribus longè compoſitiſſimis eſt, & ſi qvis alius, modeſtus. Qvam virtutem in iſta ætate cumprimis amo: namqve & viros ſummopere & ſenes ipſos decet. Fieri autem poſſe ſignificabat hinc diſceſſurus, ut mox ex patria profectus veſtræ Academiæ daret civem. Et qvia ſummopere cupiebat innoteſcere tibi,ut conſilio tuo in ſtudiis uti poſſet, non potui facere, qvin ego has literas illico aſſignarem. Neqve

Hoc ē epi-
ſtola com-
mendatitia

enim operoſe uti commendem tibi hominem, opus eſt, qvem ſua virtus ſatis amabilem & dignum clariſſimorum virorum favore ac ſtudio facit. Suſcipe eum igitur, *mi Ravi*, ama, complectere, & qvicqvid prodeſſe ei poteris ſtudio operaqve tua, ne intermitte. Non imperitus eſt τῦ καλῦ, reveretur, colit, æſtimat, qvi ei bene conſulunt, & bene viciſſim de iis mereri ſtudet. Itaqve fac animoſè periculum, ac prolixè oſtende, & æſtimaſſe te ejus virtutes ſuo pretio, & nos adhuc aliqvid apud te poſſe. Vale, ad d. x. Martii, Annó cIↄ Iↄc xxxvii.

XXVIII.

Clariſſimo Viro

ZACHARIÆ LUNDIO, S. P.

NOn ſine meis reverti debet ad te, *LUNDI Amiciſſime*, qvi cum me primum accederet, tuas exhibebat. Multum enim tibi debeo, & fateor id lubens certe, qvi talem amicum mihi conciliaſti. Enim vero cúm ob ingenii præſtantiam, tum propter compoſitiſſimos mores, & illam ſummam ac incredibilem modeſtiam, qvam ego ſemper plurimi facio, non vulgarem in modum amavi HAGMEIERUM hactenus, ejusqve familiaritate non ſine ſumma voluptate ac delectatione ſum uſus. Itaqve facilè potes intelligere per te, qvantò dolori ac ægritudini mihi ſit hominis jucundiſſimi diſceſſus. Sed qvia per conditionem noſtrorum temporum,

qvæ

qvæ ſi conclamatiſſima, dixerim, nihil errarim, ac pene dixerim minus, vix cautum ſatis videbatur, ipſum manere apud nos; ferendum æqva mente illud eſt, qvod non ſine incommodo aliqvo ejus poterat mutari. Ego vero civitati veſtræ gratulor de alumno & cive tali, qvi & ornamento ſingulari olim & magno præſidio poterit eſſe. Ita auguror, & ita votum DEUS mihi perficiet.

- - - Vatum non irrita currunt
Omnia.

Vide qvantum mihi tribuam; Noſti tamen amoris divinam vim, qvi cum & cætera omnia poſſit, qvidni & vates efficiat? Noſtrum illud vivere triſte HAGMEIERUS ipſe ſatis explicabit. Cæterum DEUS ſuper nos negotium gerit, huic erimus curæ. Nos tamen ſic comparabimus animum, ut qvicqvid evenerit, æqva mente perferendum exiſtimemus. Nec adhuc videbimur infelices, ſi dicere licet:

Si a me regnum fortuna atqve opes
Eripere qvivit, at virtutem non qvivit.

Fabricium incomparabilis ingenii Juvenem, ut amiciſſimè ſalutes meis verbis, etiam atqve etiam abs te peto. Mitto hic qvædam, cum illo, ſi lubet, communicanda; aliena tamen: nihil enim dignum magoperè publico noſtræ in præſenti producunt Muſæ. Interim tamen non feriantur, & tamen cum multa videbantur minari, extricant nihil. Sic eſſe nos tempus jubet. Sed qvid

qvid Caſſius noſter, qvid agit? qvam valet? qvam beatus ſibi eſt? qvem ego qvidem prolixè eſſe ex animo precor. Amo te, *mi Lundi*, ut ſalutes amiciſſimè mihi hominem, qvem merito ſuo plurimi facio, & nos de rebus ejus certiores facias qvamprimum. Benè vale, ad d.x. Martii Anno cIↃ IↃC XXXVII.

XXIX.

NOBILISSIMO DOMINO

HENRICO à FRISEN

S. P.

SUb iſtud ipſum tempus, qvo reſpondendum erat ad tuas, *ô decus noſtrum*, ingruebat ſubitò vetus mihi, & qvo jam multos annos per intervalla infeſtari ſvetus ſum, à liene malum. Atqve id ſævius, qvàm ante. Qvæ vehementia ipſa me paulò melius ſperare jubet. Puto enim, me eò citius cum ipſo rediturum in gratiam, qvòd iracundiam omnem uno impetu in me effudit. Sed tamen, ut brevior nunc ſim, neceſſe eſt. Noſti hoc genus morbi. Neſcio qvid moroſum atqve difficile habet. Nec corpus tantum, ſed ipſum animum tentat qvoqve, & ſua ad obeunda munia ineptum qvodammodo, minus certe alacrem reddit. Publica autem planè prætereo: qvæ nihil attingere melius eſt. In ſumma ut dicam, miſerrima noſtra conditio eſt. Et ſunt atrociora timenda tamen, niſi ἀπὸ μηχανῆς: noſti cætera. De noſtris, qvæ in Cæſarem meditatus ſum, vide, qvid flagi-

flagites. Levia ſunt, & pueris ſcripta: aut iis certe, qvi vix incipiuut primum qværere aliqvid in auctoribus præter voces & verba. Saltem, ut acuant animum, reconditaqve præcepta ex iis, qvæ legunt, & carpere & obſervare condiſcant. Suntqve conſignata maximam partem omnia tumultuaria opera, & qvalis feſtinantium eſt. Et qvomodo à nobis proficiſci in iſthoc genere egregii aliqvid & non vulgaris commatis poſſit? Obſeqvetur tamen frater optimus: cujus cauſa, qvicqvid ejus eſt, cum maximè omne ſuſceptum eſt. Qvi ſi utilitatis aliqvid inde perceperit, non eſt, cur finem alium petam. De illo Pariſienſi libello jamdiu audivi. Videre ipſum non licuit. Hamburgi ejus auctorem Grotium ferunt. Qvod tamen, ut titulum video, nondum adduci hactenus potui, ut crederem. Inde tamen in ſingulos dies exemplaria duo expecto. Qvæ ſi ad me pervenerint, dabo operam, ut tu qvantocyus unum habeas. In aureos Publii Mimos, qvi uberiora paulo ſcholia dederit, nominare tibi neminem poſſum. Primus edidit & elucidavit breviſſimis magnus Eraſmus. Poſtea in eos non nihil notarum ſcripſit etiam illuſtris Scaliger: poſtqvam eos cum Dionyſii Catonis diſtichis Græce converſos publicaſſet. Noviſſima omnium editio Gruteri eſt, & qvidem auctior cæteris centum aliqvot verſibus: cujus & Notas criticas ibidem habes. In Diogene Laërtio næ tu præclarè poſuiſti operam, qvalemcunqve tandem illius lectioni impendiſti,

diſti. Absqve eo enim eſſet, multa profectò in Philoſophia veterum ignoraremus: multa in ſcriptoribus antiqvis minus rectè intelligeremus; Poëtis maxime, qvi antiqviſſimorum Philoſophorum opiniones paſſim aut exeqvuntur, aut alludunt. Qvod ſummo artificio Maro noſter facére ſolet, qvi nusqvam eruditionem putidè oſtentat: qvod noſtrà tempeſtate nimis inſolenter fieri à multis conſvevit. Nunc finem epiſtolæ imponam, & te, *HENRICE, decus noſtrum*, qvam optimè valere jubebo & me amare. Vale iterum, *AMICE SUMME*. Wittenbergæ IX. Nonarum Aprilis An. CIϽ IϽC XXXVII.

XXX.

Martino Opitio S. P.

Raptim iſtà ad te ſcribo, *Frater deſideratiſſime*, cum præter ſpem ſe mihi offerret iſta eximia occaſio literas ad te exarandi. Non poſſum autem verba invenire, qvibus exponam ſatis, qvam miſera omnium ſit conditio, ad qvam non iſthæc inauſpicatiſſima bella deduxere. Nec finem aut levamentum ſaltem laborum noſtrorum proſpicere licet.

Utinam ne unqvam Pelei nemoris jugo
Pinus bipenni concidiſſet Theſſala,
Nec ad profeſſæ mortu audacem viam
Fabricaſſet Argus aſſere Palladio ratem.

Scis qvæ ſeqvuntur: & noſti bene, qvid velim. Nunc etiam abs te peto, ut hunc præſtantiſſimum juvenem, admiratorem maximum inge-

nii tui non tantum, ſed & imitatorem non infelicem, M. GEORGIUM MYLLIUM dignum judices, qvem omni benevolentia complectaris. Mirifice hactenus delectatus ſum ejus familiaritate, qvo magis peto, ut ei te largiter dare velis. Faciet profecto ipſe, ut ſe dignum præſtet, qvem ad unum ac alterum congreſſum admittas. Qvid agas, qvid muſineris, qvam felix ſis (opto autem qvam maxime) ſcire aveo. Nos plane in diem vivimus, & tot expoſiti diſcriminibus nec craſtinum nobis poſſumus unqvam polliceri. Sed ſtatuat de nobis, qvod viſum fuerit ſummo rerum arbitro. Nunqvam profecto ſegnes erimus ad excipiendum imperium ejus. Si qvid igitur nobis acciderit humanitus, tamen, *Frater optime*, memoriam noſtri comiter habebis, & dabis operam, ut beneficio calami tui parte aliqva ſuperem. Vale optime, & ex voto age, *deſideratiſſime Frater.* Wittenbergæ ad d. XI. Junii Anno CIↃ IↃC XXXVII.

XXXI.

Rudolpho à Brandt.

ETſi dolet qvibusdam laboribus ac periculis objectos fuiſſe in itinere, N. R. tamen hoc maximopere lætor, vos ſine aliqvo inſigni damno perveniſſe Serveſtam omnes. Cæterum ſicut nihil exoptatius literis tuis mihi accidit; ita committendum non fuit, ut nihil ad eas reſponderem. Qvam enim non inurbanum

tan-

tantum, ac parum come; verum etiam alienum prorſus ab illo eſſet, qvi te tam ſingulariter amaret? Nihil autem nunc erat, qvod ſcriberem, qvam te ut monerem, ut ſtrenuè velles iis defungi partibus, qvæ & ætatis tuæ ac loci. Currit tibi ætas optima, ergo utendum ea, dum licet: nam *cito pete*, qvod Poëta ait, *labitur, elapſam autem ſemel*

Non ipſe poſſit Jupiter rependere.

Qvid autem attinet nobili loco natum eſſe, niſi generis dignitatem virtus, doctrina, ſapientia tueatur? qvæ nemini offeruntur per ſomnium; ſed multis laboribus atqve vigiliis comparantur. Qvas omnes ferre, leve eſt, ſi qvis recogitet, qvos fructus multo ſvaviſſimos atqve dulciſſimos inde carpere liceat. Novi generoſam indolem tuam; itaqve parcior verbis ſum: de qvibus mihi videndum diligentius, ſi cum tardo ac ſegni res eſſet. Itaqve te ipſum audi, & excita, Rudolphe, & perfice nobis eam ſpem, qvam nos non tantum, ſed multi alii de te conceperunt. Et qvia omnia cedunt proſpere Deum colentibus, adverſa ſpernentibus; hunc aſſidue cole & venerare, eumqve tibi redde placatum, qvod non tam accuratis precibus, qvam pietate vitæ & innocentia impetrabis. Nec enim qvisqvam rectius colet Numen, qvam qvi eſt imitatus. Poſt Deum primo generoſam matrem, eos deinde, qvi fingendæ tuæ ætati præpoſiti ſunt, omni honore tibi proſeqvendos puta; Illis obſeqvere atq; auſculta, & cave ægre feras & indigneris, ſiqvid liberius

forte monuerint. Parentum & Præcepto-
voces Dei voces ſunt. Itaqve cum reve-
ia ſemper excipiendæ, nunqvam vero con-
nendæ & proculcandæ. Qvæ in Terentio,
æſare tractata hactenus, repete diligenter;
ı videbis, qvantum utilitatis tibi allaturum
i iſtos autores in ſuccum & ſangvinem con-
eris probe. Sed & Ciceronis *de Officiis*
enter tibi commendo: qvos libros tibi to-
leverandos ſtatuo, usqve adeo pleni ſunt
mæ frugis. Perges etiam in Poëtarum le-
ne, qvæ & ad eloqventiam plurimum, & ad
ıandos recte mores non parum etiam facit.
um autem exercebis qvotidie: & ad me
rius mittes aliqvid lucubrationis. Hæc i-
:æſcribo, magis ut chartas expleam, qvam
tibi magnopere uſus ſit, qvi ſponte tua ea
:uturus. Dabis autem hoc amori & affe-
noſtro & cogitabis, nunqvam magnum
ırem ſine metu aliqvo & ſolicitudine eſſe.
:. Nobil. Fratres & Dn. Bücherum meis
ıis ſalutabis. Feſtinantiſſime Witt. ad d.
Jun. An. cIↄ Iↄc xxxvii.

XXXII.

Nobiliſſimo & ſummæ ſpei Iuveni

Rudolpho à Brandt.

Ultum te amo, *Nobiliſſime mi Rudolphe*,
qvod eo animo accepiſti meas proximas,
qvidem cumprimis optabam. Nec ulla
re certius dare documenta poteras, qvan-

 ta

ta eſſes præclara indole præditus: cum generoſarum mentium proprium ſit, amare libertatem, eaqve tum in aliis rebus, tum in monendo maxime delectari. Ac tu profecto inſigniter tibi conſules, ſi pergas ſtrenue exeqvi (qvod certe mihi abunde polliceor) qvæ ſemel recte ſuggeſta approbaſti. Non intuendum tibi propono ſplendorem natalium, & per tot decora majorum ad te deductam nobilitatem, qvam ſine virtute & artibus ſervari poſſe, ipſemet ſæpe (ut memini) pernegaſti. Vide mihi ſaltem iniqvitatem temporum, & qvot qvibusqve hæc cladibus fortunas noſtras expugnent. Cæterum, ut & feramus recte adverſa rerum, & emendemus, ac velut nos emergamus ex tantis naufragiis, literæ & ſapientiæ ſtudia cumprimis præſtare poſſunt. Hæ ſunt divitiæ illæ, qvæ ſolæ eripi haud poſſunt, & nunqvam egere ſinunt eos, qvi ſemel bona ſatis paraverint fide. Ac licet non ſemper æſtimentur eo pretio, qvo debebant, nunqvam non tamen paratam ſibi aliqvam ſaltem inveniunt mercedem; ut verum ſit, qvod poëta cecinit: *Homo doctus in ſe ſemper divitias habet.* Orationem tuam exſpecto, remiſſurus eam tibi cum auctario ejusmodi, unde novæ ſcribendæ tibi copia præbeatur. Statum ejus loci, in qvo hæreſis modo, & qvam ibi agatis commode, velim uti ad me paulo enucleatius perſcribas. Nos Dei gratia vivimus qvidem & valemus, ſed in horas ſingulas verentes, ne qvid humanitus nobis accidat: usqve adeo viciniam noſtram funeſtavit peſtis. Qvæ niſi

niſi ponat furorem & remittat aliqvid, vel navis permittenda tempeſtati erit, vel nobis etiam in littus aliqvod enatandum. Nihil autem certi hactenus conſtitui de iſthoc negotio, nec patet locus, qvo ſatis tuto & commode transferre familiam qveam. Vale & non tantum, ſed veram etiam virtutem, & hanc cumprimis qvidem, ne deſine amare. Rapt. Wittenb. d. xix. Jun. A. cIↃ IↃc xxxvii.

XXXIII.

Nobiliſſimo Domino

Henrico à Friſen, S. P.

NUllum meum apud te, *Nobiliſſime Domine*, ni fallor, reſtat nomen, qvod adhuc mihi pediendum ſit, cùm ad tuas omnes ordine ponderim, præter eas, qvas noviſſimè ad hoc ipſo dediſti menſe. Qvibus ut nihil ertius, eruditius, cultiusqve, qvin addo & fatius erat reverà, ita accuratius paulò ad eas abam reſponſum. Sed totam iſtam machina dejicit nobis ac diſturbavit negotiorum modò, qvæ moleſtiſſima nunc incumbunt, um & temporis noſtri turbo, qvo nullum aliemere calamitoſius eſſe qveat. Qvis, ſolocus ſit, lætius qviddam & elegantius, lqve non plane omni Genio deſtitutum ſit, niniſcendi, ubi dolorum ac luctuum plennia ſint, & nusqvam non terror aliqvis, iſeriæ certè occurrat imago? Credas mihi, *CORUM SUMME*, totos me dies nihil agere aliud, qvã aut indicere funera ſcri-

bendo,aut cùm indicta ſunt, exeqvi eadem, & interim ſemper metuere,ne idem mox debeatur nobis, qvod aliis modo officium ipſi præſtitimus. Sumus enim mortales: & cuivis poteſt contingere, qvod cuiqvam poteſt. Sed cur non,inqvis, ſecedis aliqvo, & te ſubducis tempeſtati, dum detonet; & vel ad nos maximè advolas amantiſſimos tui: Ita me ames, *HENRICE*, ut ego id diu maximè cupio. Et ubi libentius eſſe, qvàm Dresdæ, qvæ patria mihi eſt, & tecum velim, cujus conſvetudine nihil propemodum potius duxerim in rebus humanis? ſed tamen familiam deſerere,hoc rerum ſtatu,pietas maximè prohibet: & eam transferre unà,ejusmodi ſumtuum eſſet, qvibus nùnc qvidem minimè ſuppeditarem. Jam ſupra biennium nihil numeratum ſtipendii eſt; atqve in tanta egeſtate publica unde privatim redeant opes? Nam malas artes exercere, aut parùm decoras, qvod multi faciunt, à noſtris moribus alienum eſt, qvibus honeſta opinio pecuniâ tutior exiſtimatur:

Damnum æſtimandum eſt,cum malâ famâ lucrum.

Qvod nec ex privatis ſcholis hactenus qvæſivi: neminem cogendum ratus, ut gratus eſſe vellet. Et noſti Speuſippumne an Platonem Sophiſtam definiiſſe eum, qvì pueros ſdivites mercedis cauſâ venari ſoleat: Σοφιστὴς, inqvit, *νέων πλουσίων ἐνδόξων ἔμμισθος θηρευτής*. Vides igitur, qvo res noſtra loco ſit; & qvàm non ſolus ille Cappadocum Rex æris egeat, ſed

multi

multi alii qvoqve: qvorum non tantùm hactenus pars magna fui, ſed adhuc qvoqve ſum: ſed ita tamen, ut hanc ſortem meam æqvo animo ferám, & aliis ſuas divitias minimè invideam. De ſcripto illo Pariſienſi iterum, ut video, vellicas aurem. Ac eſſet jam olim id penes te, ſi promiſſis ſuis amicus ſtetiſſet, qvi id qvamprimum Hamburgo ſe huc miſſurum pollicitus fuit. An in itinere perierit fortè faſciculus neſcio: an homini ipſi acciderit aliqvid humani. Neqve enim ullas hactenus literas ab eo accepi; qvi aliàs ſui officii ſat benè memor eſſe ſoet. Nunqvam ejus mihi fiet copia, qvin ea & tua futura ſit. Tragœdiæ Grotianæ nullum xemplar inveniendum eſt; aliàs miſiſſem: ſed rater ſuum ſecum feret, opinor, qvo commodè oteris uti. Eſt omninò divinum ſcriptum, & qvo nihil ſcholaſtici illius & declamatorii ımmatis inſit: ſed totum ad Euripideam ſapitiam & generoſitatem compoſitum: qva ni- moratius eſt. De meis in Cæſarem Com- ıntatiunculis, proximè σὺν θεῷ, qvoad fieri terit, ſatisfaciam, uberiusqve exponam. De tre ita habe. Cum usqve adeò periculum à te increbeſceret, auctor ei jam dudum fui, uti cederet hinc, & ad Dn. Parentem ſeſe reciet. Qvia verò communi via Lipſiam pror excurſiones militum ire, omninò ipſi intem non erat, optimum fore exiſtimavi, ſi ındo flumine Albi Magdeburgum deferreunde deinceps Lipſiam, & pòſt Fribergam amodiore itinere pervenire poſſet. Solvit

 ita-

itaqve ſecundâ feriâ Pentecoſtes. Superioribus diebus tamen ad me dedit literas, qvæ d. IIX. Junii ſcriptæ erant, qvibus ſignificabat, nullâ ratione hactenus ſe Lipſiam pervenire potuiſſe: itaqve adhuc hærere inibi, ſed tamen cum bonâ ſpe, fore, ut propediem inde abire qveat. Ac ſatius, ibi fuiſſe hactenus cum moleſtiâ aliqvâ ac tædio, qvàm apud nos qvotidiano periculo exponi. Præſertim cum interim hoc viciniæ non parùm funeſtarit hic fluens morbus. Et ille meticuloſior erat, qvàm ut diſſimulere ſatis poſſet. Itaqve nihil procraſtinandum exiſtimavi, ut ejus ſaluti, qvod par erat fieri, conſulreetur. Non dubito, qvin is propediem te amplexurus ſit: idqve ut fiat, Deum oro. Generoſum Dominum Parentem illuſtri auctum dignitate, & patriæ, & veſtræ familiæ etiam cauſa valdè lætatus ſum. Ego aliqvid gratulatiunculæ ad eum ſcripſi: ſed ſtylo plane extemporaneo, & tumultuariâ (neqve enim aliter licebat) operâ. Qvam temeritatem uti excuſes; ſtudium verò & obſervantiam meam ut commendes ei, etiam atqve etiam abs te peto. Vale qvàm optimè, *Nobiliſſime Domine FRISI*, & me perpetuum familiæ veſtræ nobiliſſimæ clientem amare perge. Wittenbergæ ad d. XXIII. Junii Anno cIↃ IↃc XXXVII.

XXXIV.

HENRICO à FRISEN.

NOBILISSIME DOMINE,

QVas Domina Mater ad Carolum tuum proximè dederat literas, cum iis, qvas nuper dedi,

, mittere decreveram? ſed uti nunqvam natio ſatis conſulta & provida eſt, ita tum q; ſimili à me commiſſa culpa remanſere. Eaq;nunc mitto; ut reddantur fratri, ſi, qvod o & auguror, venerit; ſin minus, ut ſerven n adventum ejus, aut eò redeant, unde ve int. De noſtris in Cæſarem Commentatiun ; ita habe. Nos in priores libros duos e onfectas habere; in tertium verò conficiæs adhuc, ſed non ita magnâ operâ. Ex iis n, qvæ annotavi ad marginem inter legen , & obiter poſtea diſſerui, cum explicarem orem, hoc qvicqvid hactenus mandatum tis, aut & mandandum in poſterum eſt, em eſt omne. Nam qvæ velut notis qvi am breviſſimè ibi conſignaveram, hic li ore deduxi ſtylo: idqve agenti poſtea alia ierunt; frivola illa qvidem, & nauci: ſed en adjeci, ſcilicet ut creſceret moles, & ego nia inſanirem. Pleriqve enim hodie ita , ut magnos potius, qvàm bonos libros ſcri velint. Qvæ in ſecundum reſtant, ubi ripta fuerunt, ad te uti confeſtim veniant, am dabo. Qvidni? perduntur & alias e horæ in ridiculariis. Et proſunt vel iſt nomine mali libri, uti avidius paulo dein bonos repetamus. Liberabo & de reli fidem, σὺν Θεῷ: ſi tanti fuerint. Hic ni ovi. Peſtilitas adhuc valde ſævit: & ad *erici Achillis* inſtar, πολλὰς δὲ, non qvidem υς ψυχὰς tantum, verum ignobiles etiam es ἄϊδι προΐαπτει. Deus nos ſervet, & o-

mnia mala averruncet. Ad Fratrem nullas nunc dedi, qvod haud ſcirem, utrumne ad vos jam veniſſet. Si adeſt, qvod voveo & precor, qvæſo te, *Nobiliſſime Domine*, eum ut multa ſalute impertias. Vale & nos ama. Wittenbergæ ad d. xxvi. Junii Anno recuperatæ gratiæ cIↃ IↃc xxxvij.

XXXV.

Conrado Davidi Büchero S. P.

Recte omnino feciſti, *mi Præſtantiſſime Büchere*, qvod ad me dediſti literas, nunqvam enim non iſtud officium tuum mihi gratum eſſe poteſt: præcipue qvod noluiſti neſcire me, qvæ ille noſter, præter ſpem, qvam de illo concepi, iterum viſus turbare. Ac multa de eo negotio nunc erant ſcribenda ad te: ſed qvod id in præſenti facere non poſſim, cauſa eſt feſtinatio eorum, per qvos hæ ipſæ ad te perferuntur, qvos ſerius eò ituros cognoveram. Itaqve cætera in aliam occaſionem reſervanda ſunt. Nunc autem abs te peto amanter, ut neqve blandiaris ejus erroribus, nec nimia aſperitate animum ejus irrites. Noſti generoſiſſima animalia comitate magis atqve prudentia eò redigi, ut efficium faciant: auſtera ſeveritate ſæpius everti. Ac perinde comparatum eum ingeniis eſt: qvæ potius arte ac conſilio, qvam aliis rebus tractanda, niſi plane ignava ac ſegnia fuerint. Ad Rudolphum pauca ſcripſi, qvæ ſi penetrabunt animum & remedio erunt, bene eſt; ſin perget ca-

ea, qvæ temere hactenus ſibi libere paſſus eſt, alia aggrediendus eſt via. Scripſi ad Dn. Matrem etiam, qvæ tibi ſubſidio, ut par, eſt erit. Bene valete omnes,& ſalvete. Raptiſſime Wittenbergæ ad d. xxx. Junii. Anno cIɔ Iɔc xxxvii.

XXXVI.

Nobiliſſimo Domino

HENRICO à FRISEN

S. P.

MIrificè angor Caroli noſtri cauſa, qvod neqve tu eum perveniſſe ſcribis hactenus, nec qvicqvam ego ab ipſo accepi literarum. Qvamvis ad ultimas ejus, qvæ d.IIX. Junii datæ erant, altero ſtatim reſponderim die, easqve Lipſiam ad Qvæſtorem loci direxerim, ex præſcripto ejus, qvod eò ſe paulo poſt eſſe venturum non deſperaret. Qvare te etiam atq; etiam rogo, *Nobiliſſime Domine*, ut me ſolicitudine iſtâ liberes,atq; qvam primum certiorem facias,utrumne de eo acceperis aliqvid,qvamq; ſi nondum venerit forte, ſalvus agat. Namqve ſi, qvod opto maximè, vobiſcum eſt,non patietur nos iſta ſolicitudine contabeſcere, & deſideratiſſimis literis ſuis potius largiter nos exhilarabit. At pietatem tuam in me (neqve enim vel curam vel benevolentiam appellavero; qvod in utroqve minus dicam) qvibus laudibus, qvibus deprædicabo ſatis verbis? Malè peream, niſi me totum obſtrinxiſti tibi hâc humanitate tuâ ita, ut nollem qvocunqve alio vindice in li-

bertatem aſpirare. Habe itaqve tibi hunc hominem, HENRICE, atqve pro certo obtine, me nullum unqvam laborem, nullum certamen detrectaturum, qvod pro tua tuorumq; gloria atq; honore ſubeundum erit. Ac licet ſuccumbant vires noſtræ longeqve impares ſint, tamen non ingratum tibi, nec inhonorificum mihi erit, pro te & tuis præclara fuiſſe conatum. Qvod ſi & generoſus Dominus pater in poſterum qvoq; eo, qvo cœpit, favore ac benevolentia me complectetur, *nihil profecto fieri Iupiter cupiam*, qvod Pindarus ait, & ſatis mihi videbor felix. Iſaaci Pontani *Diſcuſſiones Hiſtoricas*, qvas *clauſo Seldeni mari* oppoſuit, ex Dania nuper amicus miſerat. Sed periit ille faſciculus in itinere à latronibus intercep tus cum aliis; qvod dici non poteſt, qvantam mihi indignationem moverit ac bilem. Hodiè ad ipſum iterum dedi literas: qvod ſi aliud exemplar ad me redierit, faxo illud ut qvamprimum videas. Neqve enim ingratum arbitror fore id genus officii noſtri. Fortaſſe & alia una venerint hujus notæ, qvæ non minori voluptati erit legiſſe. De *Tragœdia Grotiana* nomine SOPHOMPANEAS, ita habe. In ipſa *Tragœdia* Joſephus (*Act. VI.*) ait:

- - - - Reſpicite me, fratres mei,
Joſephus ego ſum. Nomen Ægyptus mihi
Impoſuit aliud.

De qvo etſi apud Moſen nihil exſtat, tamen diſertis verbis & Philo in *vita Ioſephi*, & Joſephus Hiſtoricus *l. II. Antiqvit.* atteſtantur. Philo qvidem nomen non exprimit, ἀπὸ τῆς ὀνειρωτικῆς

tamen

men(fortaſſis ὀνειρoκριτικῆς legendũ) dedu-
um ſcribit. Joſephus verò id minimè ſiluit, &
de procul omni dubio iſtud eſt, qvod Dra-
ıati incomparabili incomparabilis Poëta præ-
ripſit. In Latinis autem Joſephi codicibus
Græcorum enim nulla mihi hic dari copia
unc qvidem potuit, qvòd Schmidii noſtri Bi-
liotheca uti non licuit) qvos inſpexi, non *So-
bompaneæ*, ſed *Pſontomphanechi* nomen extat:
vod corruptum fortaſſe & depravatum eſt.
ɔſamvim vocis *Sophompaneas* nemo explica-
it, qvi Ægyptiacè neſciat. Ejus originis e-
im hoc fuiſſe nominis, qvod Joſepho inditum
: ipſa res ſvadet facilè, & Philo atqve Joſephus
onſentiunt. Hæc ſummâ properantia ad tē
:ſtinabam. Cui pro inſigni illâ humanitate
ıâ uti ignoſcas benevolè, etiam atqve etiam
eto abs te, *NOBILISSIME FRISI.* Vale cum
ɔtâ familiâ nobiliſſimâ, & nos ama. Witten-
ergæ ad d. XII. Julii Anno cIɔ Iɔc XXXVII.

XXXVII.

Rudolpho à Brandt, S.P.

QVod ad tuas proximas non reſpondi, haud
ægrè feres, factum id & negotiis eſt, qvibus
nplicitus fui hactenus, & qvod non eſſet oc-
aſio commoda literas ad vos permittendi. Ac-
eptiſſimæ verò mihi fuerunt, qvas nunc dedi-
:i; & carmen ipſum, qvod adjunxeras, & nunc
emitto, ſatis ſe mihi probavit. Eſt enim elegia-
um vere, qvos numeros præfert, & ſapit Ovi-
dia-

dianæ lectionis genium, nec qvid magnoperè habet, qvod limâ & emendatione indigeat. Perge itaqve mi Rudolphe, atqve inſiſte conſtanter his ſpatiis, qvæ ſemel ingreſſus es: Et ita perſvade animo, hoc ſtudiorum genus & multùm polire ingenium, & mentem ipſam parare qvoqve atq; idoneam reddere ad qvodvis doctrinæ qvin & virtutis genus recipiendum. Mitto nunc qvoqve materiam oratiunculæ, qvam volebas, elaborandæ. Qvæ autem proximè à te venerunt, nondum abſolvere potui, ut iſthâc vice ad te redirent. Qvare ignoſces, & proximè ea exſpectabis. De urbis noſtræ ſtatu ex optimæ & generoſiſſimæ Matris literis cognoſces. Qvam uti ames, colas ac verearis, & tua te jubet pietas, & ego imprimis moneo ac hortor. Dn. Büch. ſalutabis: qvem omnino te honorare oportet, ut optime de tuis ſtudiis cupientem mereri. Vale cum fratribus Nobb. qvos, ut officium ſtrenuè faciant, non deſines adhortari; qvibus ſalutem ut meis verbis dicas, etiam atqve etiam te rogo. Raptim Wittenb. ad d. XVII. Julii Anno CIↃ IↃC XXXVII.

XXXVIII.

Eidem S.P.

NOn eſt, qvod tibi fingas culpam aliqvam, qvam ſilendo tamdiu contraxeris: qvum ſi culpa eſt, ad tempus intermittere literas, pari jure à te compellari poſſem, qvo tu vereris, ne ego utar in te. Qvare facilè nos ſuperſedere metu

iſthoc

iſthoc poſſumus, qvin ipſa literarum qvoqve negotiatione, ſi nos, qvod ſpero, propitia fata brevi conjungent. Qvæ cauſa etiam eſt, cur neqve nunc ita amplas atq; copioſas ad te permittam. Cæterum qvod de hoſpitii tenuitate, de vilitate pagi, qvem petam, verba facis, comitatis magis, qvam neceſſitatis eſt. Tantum enim abeſt, ut faſtidiam rus, qvod rectè divinum ipſe divinus Maro dixit, ut nullo non tempore ejus qvietem præ urbano iſto ſtrepitu expetam; qvippe qva nihil aptius ad ingenuas colendas Muſas. Qvicqvid pene in antiqvitate, non modò, ſed in ingeniis ſuperiorũ temporum miramur, id in ſeceſſu, & procul urbe ſcriptum eſt: qvod facile poſſem oſtendere, ſi nunc id agere propoſuiſſem. Neqve tu declamationem à me ſed epiſtolam exſpectas. De Heinſii Poëmatis ſatisfaciam: nunc autem eorum loco hæc Programmata mitto. Vale cum univerſa familia, & me ama. Witteb. III. Auguſt. cIↃ IↃC XXXVII.

XXXIX.

Nobiliſſimo Viro

HENRICO à FRISEN

S. P.

QVæ diſcedenti nuper de libris dediſti mandata, eà qvidem curavi diligentia, qvam adhibere par erat in ejus negotio, qvem maximi non modò facerem, ſed cui etiam præcipuè probare ſtudia mea laborarem: vix tamen eſt, ut bonæ & certæ aliqvid ſpei tibi oſtendere qveam. Tergiverſantur uterqve, uti videtur, & qværunt,

runt,qva ratione neceſſitatem reſtituendi effugere qveant:Clodenſis cauſſatur fugam, &c. bibliothecam cum ſupellectile reliqva omni deprædantis hoſtis libidini domi relictam. Ex qvâ qvid reliqvum ſibi intactumqve manſerit,neſcire ſe planè,cum nondum licuerit eò reviſere, atqve inſpicere adeo in res ſuas. Cujus qvam primum facta copia fuerit, vel redditurum ſe librum, ſi nondum periit, vel excuſaturum, ſi ſit amotus. Taubmannus primo infectas peſtilentiâ ædes veteres, & ideo deſertas; deinde,paratis novis, & vixdum habitari cœptis, confuſos & nondum ordinatos libros obtendit. Neqve enim integrum ſibi eſſe, id libri in turba tanta invenire. Petere igitur, uti concedas ſpatium aliqvod,&iſtam moram haud ægre feras. Ego qvidem non deſinam monere homines de ſuo officio; ſed valdè metuo, ne littus ſterile araturus ſim. Experiendum tamen eſt, & expectandus eventus. Reverſus domum literas ab OPITIO inveni. Qvarum ſumma hæc erat: ſibi nunc conſtitutum Dantiſci & domicilium & ſtipendium qvoqve, collato in ſe Hiſtoriographi munere ab Auguſtiſſimo Polonorum rege; ſed & amare cœpiſſe ſe lepidum qvoddam Spinturnicium, fuſcum, loqvax, neſcio cujus amœnitatis; & jam de nuptiis cogitare. Interim tamen moliri editionem qvoqve Pſalmorum, qvos Germanicis numeris induiſſet, & Gratulationis pro Regiis nuptiis, qvæ ad VI.Septembr.St.N.inſtituendæ,niſi qvid bellum Turcicum interturbet, qvod ſuperato Danubio

nubio ab hoſte imminere videatur non tàm illi regno, qvàm toti Chriſtiano orbi. Ab Heinſio qvoqve his diebus accepi literas, qvarum exemplar ad te mitto. Novi enim, qvam libenter legere ſoleas, qvæ ab illa manu veniunt. Lectiſſima enim ſunt & longè remota à ſcribentium vulgo. Urbis noſtræ fatum nihil mutatur in melius: qvin pejor pejorqve indies noſtra omnium incipit eſſe conditio. Sed Deo parendum eſt. Te, *Nobiliſſime Domine*, valere qvàm optimè & feliciſſimè agere opto, & me amare. Wittenbergæ ad d. XXII. Auguſt. Anno CIↃ IↃC XXXVII.

XL.

Litera commendatitia pro

JOHAN. MEISNERO.

LECTORI BENEVOLO

Salutem & officia mea defero &c.

TRadimus tibi JOHANNEM *iſtum* MEISNERUM *Torgenſem Miſnicum*. Non copioſo mihi aut nimis exornato ſermonis genere opus eſt. *Simplex*, ut ille ait, *veritatis oratio eſt.*

Multiplici nec eget aqva verborum ambitu.
Manifeſta per ſe cauſa; ſed juris ſui
Vitiô laborans qvarit à verbis opem.

In qvam ſuſpicionem ne ego qvoqve hic incidam, apparatu omni & copiâ abſtineo. Tertius annus agitur, qvod honeſtiſſimus Juvenis a familiam meam cooptatus, cum alibi, tùm in

Mu-

Muſeo meo mihi cumprimis liberalem operam locavit. Ita ſanè, ut induſtriam ſuam & fidem ſatis probarit. Neqve vero deſtituitur ingenio, qvod docile perqvam nactus eſt; & ita excoluit literis animum, ut Græcè & Latinè juxta ſciat. Atqve id ad elegantias usqve, ſeu proſa, ſeu verſa oratione ſit opus. Nam ad utrumqve æqvè valet. Attigit & Philoſophicas diſciplinas, & inde hauſit, qvantum videretur ſatis, qvi S.S. Theologiæ ſe mancipare conſtituiſſet. Neq; enim poſthabitâ Dominâ circa ancillas deſidendum perpetuo eſt. Hæc uti bonâ fide de ipſo teſtari poſſum, ita abs te, *benevole Lector*, amanter ac officioſe peto, ut adoleſcenti faveas, ejusqve conatus, qvantum in tua manu poſitum eſt, eò provehas, qvò aſpirare atqve pertingere qvam maximè optat. Nulla nobilior benè merendi ratio eſt, qvam qvæ ingenia ſibi obſtringit, qvæ & prodeſſe in publicum, & ſeculo qvoqve, ſi emergendi copiam nacta fuerint, conciliare laudem qveant. Ac dabit MEISNERUS operam, ut, ſi qvid in ipſum beneficii contuleris, id & æſtimet rectè, &, prout par eſt, proſeqvatur ſemper, ne parum gratus & pius videri poſſit. Nos etſi illi non ſumus, qvorum cauſa magnoperè ejus res velis adjuvare, qvi conſcii ſumus mediocritatis noſtræ: ſed tamen, ſi eo etiam fortaſſis nomine mereri de eo paulò melius inducas in animum, id enitemur ſedulò, ne qva occaſio elabatur nobis, viciſſim & gratificandi voluntati tuæ, & commodis tuis inſerviendi. Vale, *Benevole Lector*, & feliciter age.

age.Scripſi Wittenb. ad d. xxx. Auguſt. Anno Chriſti cIↃ IↃc xxxvii.

XLI.

Rudolpho à Brandt. S. P.

ITa me amas, *Nobiliſſime Rudolphe*, ut incredibili voluptati mihi fuerunt literæ tuæ, hoc tam acerbo tempore meo. Nam & diſertæ verbis ſunt, & elegantes ſatis ornateqve compoſitâ oratione conſtant, jam eo rationum ſubnixæ pondere ſunt, qvibus tu dolorem animi devincere conaris, ut nihil gravius iis aut efficacius inveniri in hoc genere poſſe videatur. Qvod ut magno levamento fuit; ita plurimum gaudii mihi attulit hæc eruditio tua, ac hic progreſſus in eloqventiæ, qvod es ingreſſus, ſtudio. Ut nihil nunc dicam, qvod indè luculentiſſimum documentum liceret carpere ſummi amoris tui in me & ſingularis affectus. Perge ita, *mi Rud.* perge; nec deſine premere hunc curſum, qvi ſi qvid laboris & moleſtiæ habet, multum tamen gloriæ & nomen immortale tibi, qvod præcipuè magnæ mentes ambiunt, promittere poteſt. Sed qvi dolere mecum voluiſti hactenus, nunc qvoq; in ſocietatem gaudii noſtri veni. Scias enim nudius qvartus filiolum mihi natum eſſe, atqve tum tinctum fonte, cùm mihi ſvaviſſimæ literæ tuæ redderentur. Qvô factum, ut non ſtatim ad illas reſpondere poſſem. Heri autem totum diem apud Rectorem Magnificum deſidendum fuit, audiendis rationibus, qvas deponebat Fiſci noſtri Curator. Qvæ

res etiam morata reſponſum eſt. Sed ut ad id redeam, unde dilapſus ſum, jam reſarta qvodammodo nato hoc filio clades illa eſt, qvam in amiſſa filia contraxi nuper, & nunc pro luctu gratulatio ſuccedit. Vides igitur vices rerum humanarum, *Rudolphe*, & varietatem fortunæ noſtræ, qvæ modò triſtis & aſpera eſt; modò jucunda ac læta fluit. Atqve hæc tuo ſi temperentur rectè ac miſceantur, præclare nobiſcum agitur. Namqve corrumpunt nimia proſpera, & diuturna mala affligunt. Qvare ſapienter, ut ſolet, *Euripides* dixit:

Bonum à malo eſſe ſeparatum non poteſt:
Mixtura qvædam ſi utriusqve eſt, benè eſt.

Qvæ duo Programmata addidi, docebunt de nova, qvam accepimus, clade, in Cruſio & Clannero mortuis. Itaqve qvamvis mitiùs videatur nobiſcum agere fatum noſtrum, dum pauciores jugulat, non deſinit tamen per capita virorum incedere, ſumma propemodum qvæqve proruere & deturbare. Vale. Wittebergæ, ad d. XIII. Octobr. Anno CIϽ IϽC XXXVII.

XLII.

EIDEM.

Nobiliſſime & Svaviſſime mi

RUDOLPHE.

REpertus tandem nobis Heinſianus Codex noſter eſt, qvem perditum planè exiſtimabam. Eum itaqve nunc mitto: qvô eò commo-

modius uti potes, qvam exemplari alterô, qvod compactum nondum eſt. Volebam & alia mittere, præcipuè verò meditationes tuas jam recenſitas à me omnes: ſed ſacerdotem clitellarium facere, religioni nobis fuit. Neqve enim curru aut eqvo utitur; ſed ſuismet pedibus ſibi incedit. Plane ad Apoſtolorum morem; qvorum & hic exemplum voluit exprimere, ne fruſtrà in aliis ſibi imitandos propoſuiſſe videri qveat. Proximè plura: nam neqve verbis oneranda charta fuit, qvo ille ſc. levius incederet. Vale itaqve animo juxtà ac corpore ô noſter, & ſalve cum Nobiliſſ. Fratribus. Witteb. ad d.xxx. Octobr. Anno cIↃ IↃc xxxvII.

XLIII.

HENRICO à FRISEN S. P.

NOBILISSIME DOMINE,

Diu ſilui, fateor: & cum abs te toties mihi redditæ literæ ſint, ne ſemel qvidem reſpondi. Non temere tamen & negligentia aliqva, ſed certo conſilio & inſtituto. Dudum eſt, qvod ob graſſantem luem male audit noſtra civitas: & ſic pleriq; exiſtimant, non aliqvot ædes atqve familias afflatas peſte, ſed univerſam urbem venenatam eſſe. Qvare committendum non duxi, ut compellarem te eo tempore, qvo ſuſpecta omnia maximè ac formidoloſa: ne qvid terroris offunderem forte, atqve hoc ipſum verteret in magnum diſcrimen. Præcipue cum ...erale hoc fulmen, qvô plures conflagrarunt

hactenus, & noſtram domum infeſtâ flammâ petiiſſet. Tum enim timendum maximè, ne qvis malignus fomes ex noſtro incendio transferretur. Itaqve ad te mittere literas, nihil aliud videbatur ſanè, qvàm vilem habere ſalutem tuam, & qvaſi prodere velle illud caput, in cujus incolumitate potior felicitatis noſtræ pars poſita ac collocata prorſus eſſet. Nunc cùm hic metus maximam partem evanuerit, & tumet ipſe demas nobis, qvod reliqvum erat, non nobis ceſſandum amplius, qvin ad officium rurſus & partes qvantocyus redeundum fuit: ut ſtudium noſtrum & obſervantiam erga te, prout par erat, probaremus. Ternis autem, ni fallor, reſpondendum eſt. Primæ illarum de controverſia qvadam, qvæ de Judæis inter Barlæum & qvendam Theologum agitari cœperit, monent, petuntqve, ut ſi qvid ejus ad me perveniſſet, id curarem ad te. Alteræ literas ad HEINSIUM commendant, & de fratris amantiſſimi rebus deportandis Dreſdam mecum agunt. Noviſſimæ alloqvium continent, qvô tu levare domeſtica vulnera, & verba medentia conſerere prolixâ humanitate ſtuduiſti. In eo verò occupatæ omnes ſunt, ut non tam ſvadeant, qvàm poſtulent potiùs, & modis omnibus urgeant, maturè uti eripiam me ex his funeſtis locis, & ſine morâ ad vos evolem, atqve totam familiam adeo transferam Dreſdam, & ſic conſervem. Qvæ omnia cum ubertim ac luculenter ſatis doceant, qvam tu de nobis opinionem conceperis, NOBILISS. DO-

DOMINE, qvamqve benevolum erga me & optime cupientem animum habeas, æqvum erat, reſpondere non tantum accuratè; verùm & ſummas maximasqve habere gratias, pro tàm impenſo ſtudio in me ac ſingulari affectu. Qvod cum in tantâ feſtinatione fieri non poſſit, ſatis erit vel perfunctorie ſaltem & orbiter partibus fungi. De Barlæanâ controverſia autem, niſi tu feciſſes me certiorem, nihil prorſus conſtaret: nec qvicqvam ejus vidimus hactenus, qvod ultrò citroqve editum eſt. Qvorum cum nulla in catalogis qvoqve mentio ſit, fruſtrà ſane Bibliopolas noſtras hactenus defatigavi. Sed mitius cum Judæis agendum, eosqve non averſandos planè, ut qvasdam publici odii victimas, Cunæus etiam noſter ſenſit, qvem *lib. I. c. ult. de Ebræorum Republ.* ſi placet, legere potes. Literas ad Heinſium jamdudum permiſi Leidam via Hamburgenſi; qvas unà cum noſtris, qvas junxeram, jam traditas puto; Fratris autem optimi res, eandem ob cauſam hic obhæſerunt tamdiu, propter qvam nullæ noſtræ literæ hactenus ad te commearunt. Dabo tamen operam, uti qvamprimum devehantur navi. Nec eſt, cur eæ formidinem aliqvam vobis excutiant; Statim enim cum ægrotare cœpiſſet filia, in alias deportata ædes, ibiqve poſt aliqvot dies mortua eſt. Venio nunc ad illud, de qvo me multùm deberet ibi, *Nobiliſſime HENRICE*, & lubens fateor, & gaudeo ſanè. Nam qvantæ qvæſo bonitatis eſt, qvòd tam ſolicitè ſalutis meæ cauſam agis, meqve invitas tam prolixè Dreſdam?

 Qvan-

Qvantæ humanitatis, qvò & doles noſtram ſortem,& comiter juxtà & ſapienter me conſolaris? Neq; enim ſaxum aut ſtipes ſum, qvi chariſſimorum obitus ne ſentiam qvidem. Homo ſum: nec illud tantùm,& pater ſum. Qvorum qvàm tener adverſus prolem animus ſit, qvotusqvisqve ignorat? Nec male prorſus *Mimus* dixit:

Homo toties moritur, qvoties amittit ſuos,

Interim tamen non in inſaniam abire affectum patior: & ita agnoſco vulnus,uti medentium manus non planè detrectem, & rectè monentium admittam voces, nec plus dolori ac luctui qvàm rationi concedam. Atq; ſi alia omnia deeſſent,vel tempus ipſi me admonere poterat,qvid faciendum mihi cumprimis. Qvo cum atrocius infeſtiusq; virtutibus magisq; calamitatibus exercitũ vix aliud ullum eſſe qveat, næ id dementiæ videbatur, lugere paulo vehementius ſuos, qvod ex tantis turbis & diſcriminibus atq; miſeriis erepti eſſent. Meum non eſt adeò inſanire:& feram æqviſſimo animo & patienter domeſtica infortunia, modò conſtituatur res publica rectè, & malis communibus atqve laboribus imponatur finis tandem. Qvod uti precari boni civis maximè eſt,ita efficere atqve præſtare non niſi illi poſſunt, q[illegible] peculiariter Deus ad id deſtinavit.

ῥάδιον μὲν γὰρ πόλιν σεῖ-
σαι καὶ ἀφαυροτέροις, ἀλλ' ἐπὶ χώ-
ρας αὖθις ἕσσαι, δυσπαλὲς
δὴ γίνεται ἐξαπίνας,

εἰ μὴ

εἰ μὴ Θεὸς ἀγεμόνεσσι κυβερνατὴρ γένηται.

Cæterum ſiſtit jam morbus, qvi ruit hactenus, nec tam remittit, qvam planè ponit propè. Nam per hos aliqvot dies nullos funeſtos habuimus: & qvi decumbunt adhuc, magnam pleriqve omnes præbent ſpem de valetudine brevi recuperandâ. Qvâ igitur ratione nunc de receptu aliqvo cogitem, cùm exſpiravit propemodum metus omnis? aut vellem vitare periculum, cum jam ſublatum? Interim tamen exoſculor planè ſolicitudinem tuam & ſummam affectionem erga me: qvâ denuò mirificè ſanè, & ſupra qvam dici poteſt, devinctos tibi & nunc jam nos tenes, & tenebis ſemper in poſterum, qvam diu ipſe non ſolvar. Et fieri tamen poterit, ut aliâ de cauſâ Dreſdam veniendum ſit, & paulò diutius commorandum ibi qvàm proximè fuit. Qvicqvid fuero, & ubicunqve fuero, perpetuò fuero tuus. Nec antè deſinam admirari virtutes tuas, & inuſitatas animi dotes colere, qvàm vitam ipſam deponam. Vale. Wittenbergæ ad d. XIII. Novembr. An. CIƆ IƆC XXXVII.

XLIV.

Ornatiſſimo Iuveni,

Johanni Meiſnero S. P.

Nihil peccaſti ſcriptione tua, *mi Meiſnere*, qvin potius rem gratiſſimam mihi feciſti, declarans amicum affectum in me officiumqve, qvod te debere mihi exiſtimaſti. Mortales

les ſumus, itaqve noſtros immortales minimè debemus credere. Nunc autem ex obitu recens nati filioli geminatus mihi luctus eſt, & duplicatus dolor. Qvem leniorem tamen vel ipſa temporum diritas, (ut nunc de illis taceam, qvæ recta ratio, & illa melior Philoſophia nobis ſubjicit,) facere poteſt. Qvum ſatius eſt, vel nullos gignere liberos, vel natos ſimul efferre ſtatim, cujusdam felicitatis inſtar habet. Dn. Rectorem amicum meum ut officioſè ſalutes peto; qvem gratum eſt & ſupereſſe, & rectè valere: Qvod utrumqve DEUS diuturnum ei faciat. De piſcibus pene res deſperata nobis eſt, niſi tu aliqvam viam inveneris huc permittendi. Si arriſerit fortuna, multum tibi debeo, & te venuſtum prædicabo plane! Vale. Raptiſſimè ad d. XXIII. Nov. A. C. cIɔ Iɔc xxxvii.

XLV.

Præſtantiſſimo virtute ac literis

DNO. BUCHERO,

Amico meo S.P.

Nec unqvam mihi non grata jucundaqve eſt præſentia tua, *Præſtantiſſime Dn. Buchere*, & acceptiſſimæ ſemper tuæ literæ veniunt. Itaqve tantum abeſt, ut aliqvid nobis moleſtiæ in præſenti attulerint tuæ, ut potius voluptati fuerint ſingulari. Præcipuè cùm vos omnes rectè valere ſignificarent. Ad nos qvod attinet, ita remiſit hactenus lues, ut nihil inde periculi magnoperè imminere ampliùs videatur.

Qva-

Qvare ſatis ſecurè, niſi qvid intervenerit forte, poſt SS. Theophania, qvod benè vertat DEUS, receptum parare ad nos poteritis. De Muſeo egi cum Voigtio; ſed petiit, ut ejus rei ipſi gratiam facerem. Nec enim ſine detrimento aliqvo atqve incommodo transportari denuò res, qvas vix dum ſatis compoſuiſſet, prout uſus erat, poſſent. Cæterum ſi R. noſtro placeret, tecum una Muſeo illo uti, non defuturum ejus voluntati. Sed qvia Nollius jam diſceſſit, atqve eam ob cauſam duo Muſea extra tertium illud Voigtii vobis patent, inſervitura veſtris tantum uſibus, non video, cur aliis ſupplicare amplius magnopere debeamus. Si aliqvot ante adventum veſtrum diebus advoles; & ipſe contempleris loca, ut diſtribuènda & ordinanda eſſe putes, non abs re mihi facturus videbaris. Sed illud totum facio arbitrii tui. Interim ipſe dabo operam, ut purgentur conclavia & præparentur rectè. Cætera inter præſentes facilè tranſigentur. Habebitis enim hominem nihil minus qvam δύσκολον & durum: & qvod præcipuum eſt, tùm amantiſſimum veſtrûm, tum ſtudioſiſſimum qvoqve. Hæc ad tuas in præſenti reſpondiſſe ſufficiat: qvæ cum generoſa Domina Matre communicabis, eamqve officioſiſſime meo nomine, ut & Rudolphum, delicium noſtrum, nec non & cæteros fratres ſalutabis peramanter. Benè valete omnes & ſalvete in Chriſto Domino. Witteb. ad d. VI. Decembr. Anno cIↄ Iↄc XXXVII.

XLVI.

HENRICO à FRISEN S. P.

QVod ſilui hactenus, *Nobiliſſime Domine*, mirari non debes: ſiluere ſtudia noſtra fermè omnia ex deſtillationibus, qvæ me diebus ſuperioribus per illam immodeſtiam hyemis, qvæ tùm urgebat, acerbè perqvam exercuerunt. Qvod mali genus qvam nos ad commentationem qvamcunqve ineptos concinnare ſoleat, ipſe, ni fallor, eſſe poteris teſtis. Qvò prolixius faciliusqve abs te me impetraturum veniam confido. Libros, qvorum indiculum mittebas nuper, diligenter qvæſivi: ſed qvia exemplaria omnia diſtracta erant, nulla eorum nobis fieri potuit copia. Dederunt tamen Mæviani hæredes fidem, daturos ſe operam, ut à mercatu Lipſienſi, qvi inſtat, aut omnes aut Voſſii certè Latinos Hiſtoricos, cum Cunæi noſtri de Ebræorum Rep. accipiam. Nam de Petavii Rationario nihil liqvidè nobis promittere habuere. Hiſtorici Voſſii pretio* licent: Cunæi Reſp.* Utrum conditio placeat, vel tribus verbis monere me poteris. Nam & ad Gözium Lipſiam dare licebit literas, ut indè ad te qvamprimùm procuret. Utrum *OPITII Variarum Lect. Librum* videris, neſcio. Mittere tamen volui, & ſtrenæ vicem apud te obtinere. Depromſit, ut opinor, de Commentariis, qvos dudum de Dacia nobis pollicitus eſt. Qvos vereor, ut elaboraturus editurusqve ſit, ſi libri hujusmodi

plures

plures ſeqventur. Divinus tamen non ſum. Et vel hac ratione benè de literis & Antiqvitate meritus eſt. Adjunxi & alia, noſtra juxtà & aliena: ut ſaltem varietate aliqvâ munus noſtrum ſe commendet tibi, cum pretio & magnitudine haud qvicqvam qveat. De Cunæi literis abeſſe facilè poterat illa pars, qvæ ad me ſpectat maximè, ne meis me laudibus jactare videar, qvas nunqvam lego ſane, qvin erubeſcam largiter, cùm nimiæ ſint: ſed mutilare nolui vel tuâ cauſâ, cum me minimè fugiat, qvanti incomparabilis illius viri ſcripta facere ſoleas. Dedit una & Hartvvigius, cujus meminit Cunæus in illis ipſis, literas ad me. Ex qvibus id poſſum conjicere, proximas noſtras, qvas Hamburgum direxi, τῷ θαυμασίῳ HEINSIO nondum eſſe redditas. Qvippe qvem mirari ſcribit, cur nihil à nobis acceperit hactenus. Qvod neſcio magiſnè dolere, an indignari debeam. Sed potius eſt, denuò experiri fortunam, eiqve vel extorqvere officium ſuum. Qvare ſi novam jacere aleam libuerit, poteris id qvamprimùm ad me permittere. Ego omni ſtudio induſtriaqve contendam, ne unqvam mihi qvid culpæ præſtandum veniat. Sed qvid Foreſtus ille èſt, Epigrammatum auctor, qvæ mitto de Breda? Puto omnino, *Nobiliſſime Domine*, de eo tibi conſtare. Qvare, ni grave eſt, notorem te ei apud me dabis. Mihi qvidem, homini non nimis acutæ naris, Epigrammata iſta facilè ſe probant. Nam neqve ingenio inventio caret: & dictio verè Epigrammataria eſt, hoc eſt, facilis

lis, ſed lepida tamen, & ſale ſuo temperata. Qvam ob cauſam & deſcripſi ipſe, & tibi miſi. Exemplar enim qvod Lugduno permiſſum erat, inter amicorum manus, qvibus conceſſi hactenus, non nihil, ut fieri ſolet, collegit ſordis. Itaqve verebatur in conſpectum tuum venire. De noſtris nihil habeo qvod dicam. Id unum peto abs te, ut, dum legis, ita agas cenſorem, ut te amicum etiã eſſe memineris. Vale noſtrum decus, *Nobiliſſime Domine*, & me perge amare. Witteb. ad d. XXVII. Decembr. Anno cIↃ IↃC XXXVII.

Auguſto Buchnero Petrus Cunæus, S.P.D.

Ex literis tuis, VIR CLARISSIME, qvæ ante tres menſes redditæ mihi ſunt, libenter perſpexi; eſſe te conſtantem in ſuſcepto ſemel mei amore. In qvo mutuum me facere facturumqve deinceps ſemper, ſcire certo debes. Hartvvigius veſter, qvem mihi commendas, eâ animi præſtantiâ & juris civilis peritia præditus eſt, ut ubicunqve futurus ſit, fortunam ſibi ipſe facturus eſſe videatur. Ego, etſi nihil in me reperio, ex qvo fieri ad ejus doctrinam aliqva poſſit acceſſio, tamen id curæ habebo, ut ad augenda ejus ornamenta & commoda nusqvam illi defuiſſe, aut voluntatem meam, aut promtiſſimam operam intelligas. De Ioſepho qvod nondum explere multorum expectationem potuerim, præter opinionem meam contigit. Qvi enim antè, cum libros de Rep. Hebræorum ederem, literarum & antiqvi-

qvitatis perveſtigationi totus deditus addictusqve, exiſtimaveram intra breve tempus edolari à me poſſe eas, qvas cœperam in maximum & celeberrimum Scriptorem Commentationes, mox ſtatim ad juris civilis profeſſionem traductus, ſenſi occupationibus qvibusdam, qvæ modo ex muneris Academici neceſſitate, modò ex Conſulentium interpellationibus naſcuntur, otium penè omne meum interrumpi, ut ad prioris vitæ meæ oblectamenta oculos qvidem interdum cum dolore retorqveam, cæterum haud penitius ad ea remigrem, nec me mihi vindicem. Sed profectò,

ἔπω μῆνας ἄγων ἔκαμ' ἔϛ᾽ χρόνος ἐδ' ἐνιαυτὸς.

Qvare erit fortaſſe brevi tempus, cùm ea omnia, qvæ cœptū opus tardant, discutiam amoliarq́; ac tibi judici omnium, qvos nunc novi, exactiſſimo, καὶ πᾶσαν εἰς παιδείαν ἠκριβωμένῳ, *tuiqve ſimilibus, me ac mea probem. Interim Deum Optimum Maximum ſupplex qvæſo ac veneror, ut publicorum malorum tempeſtas, qvæ ex belli Germanici reliqviis in vos incubuit, tandem aliqvando detumeſcat, atqve ut placidâ pace lubeat tibi in publicos uſus evulgare, qvicqvid tibi inuſitata eruditio tua & acerrima ingenii indoles ſuggeſſit. Nulla enim re magis beare ſeculum hoc noſtrum, & amicos tuos, qvos ubiqve habes plurimos, poteris. Vale, vir clariſſime, & me ut cœpiſti, porro ama. Lugduni Batavorum XIII. Octobr. Anno* cIↄ Iↄc *XXXVII.*

XLVII.

XLVII.

Conrado Davidi Büchero S. P.

DE adventu veſtro nihil hactenus ſignificâſtis; Ceterùm cùm ad me perlatus ſit rumor, apud ampliſſimum Dn. Dn. Reuſuerum & menſam & Muſea parata vos exſpectare, ex te cognoſcere volui, qvid veri ineſſet. Si illuſtris Domina Mater id è ſua juxtà & filiorum re fore intellexerit, meum non eſt, aut improbare conſilium, aut qvicqvàm impedimenti objicere velle. Neqve enim tàm rerum mearum ſtudioſus ſum, ut ulli alii damno eſſe velim: nedum illis, qvorum commoda maximoperè ſemper promota cupio. Id tantùm peto, ut ea de re maturè certior fiam: qvo, ſi in ædas meas commigraturi non ſitis, aliis qvi huc ſubindè redeunt, locari poſſint, & me non damnum indè aliqvod maneat. Peto abs te peramanter, mi D. Büchere, ut ea in re operâ tuâ nobis deeſſe ne velis. Studebo vicilſim grata & profutura officia tibi præſtare. Vale Wittenb. ad d. XII. Jan. Anno ClƆ IƆC XXXVIII. qvem felicem tibi ominor & fauſtum.

XLVIII.

Rudolpho à Brandt,

SIluiſti qvidem hactenùs, *Nobiliſſime Rud.* nec ſine cauſa fortaſſis. Namqve cum tutemet ipſe brevi venturus huc eſſes, ſcribendi officio facile ſuperſedere Te poſſe exiſtimaſti. Qvare

te

te ipſum exſpectabo potius, qvam literas tuas. Has autem ut darem ad te,& fecit affectus meus erga te, & FRISIUS noſter etiam, à qvo præſentes, qvæ tibi inſcriptæ, redditæ mihi ſunt, qvas ſine noſtris commeare ad te nolui pati. De peſte nunc nihil amplius periculi imminet,& eam ob cauſam aucta eſt Academia noſtra aliqvot civibus, qvi iſtis nundinis Lipſienſibus huc venerunt. Qvam ob cauſam etiam ad publicas operas omnes accingimur denuo, & ego poſt paucos dies eas redauſpicaturus ſum: niſi qvid impedierit parentatio, qvæ Sennerto noſtro beato antè à nobis peragenda. Id nunc te volui. Qvod reliqvum eſt,àDeo Opt. Max. precor, ut qvi ingreſſus nuper annus eſt feliciter,exeat cùm nobis omnibus, qvos mire afflixit hæc temporum diritas,tùm nobil. familiæ tibiqve adeò imprimis proſper & fauſtus. Rapt. ad d. XII. Januar. Anno CIↃ IↃC XXXVIII.

XLIX.

Mi Præſtantiſſime Domine Büchere.

CHarta mihi rectè tradita qvidem eſt, ſed qvod pro ea numerari oporteat, neqve ille, qvi pertulit, neqve tu literis tuis indicaſti. Itaq; id in poſterum faciendum eſt,atqve qvam primum qvidem,ac tùm repræſentabitur pecunia, qvâ diu carere Chartarius, niſi incommodo ſuo, haud poteſt. Adventum Nobilium, non tam mea, qvam ipſorum cauſâ maturatum vellem, Nôſti ipſemet omnium optimè,qvan-

to

to detrimento ſtudiorum fiat, ſi diutius ab Academia, hoc eſt, verâ officinâ literarum abſint. Interim tamen ſerviendum tempori. Et huic tempeſtati ac fluctui obluctari temerarium prorſus eſt. Si paululùm tantum adſit pecuniæ in præſenti, ſatius erit advolare illico, & juſta ſubſidia expectare deinceps, qvam diutiùs manere, ac tantùm hiante fauce expectare offam, & ſtudia interim pati affligi. Videbis tamen, *mi Büchere*, qvam rationem vobis tùm præſens tempus, tùm & veſtrarum rerum conditio præſcribat. Qvam ſeqvi ut ſapientes ſeriò ſvadent, ita neqve ego auctor vobis ſum, ut fruſtrà velitis niti contrà. Vale & ſalve cum generoſa Domina & filiis nobiliſſimis officioſe ac peramanter. Raptim ad d. XI. Junii Anno cIↃ IↃC XXXVIII.

L.

H. à Friſen, S. P.

NOBILISSIME DOMINE,

Cum redderentur mihi tuæ nuper, qvas noviſſime dederas, non putabam te adhuc Dreſdæ hærere, qvod ex iis diſcebam; ſed profectam jam olim cum Legatis bonam itineris partem, de qvo docueras ante, confeciſſe. Recte autem & pulchre monuiſti de eo, qvod evenit poſteà. Nam absqve eo eſſet, paulo tardius certe ad ſcribendi officium rediiſſem. De Græcanicarum Eccleſiarum ſtatu per Orientem & qvam religionem ac fidem profiteantur, unde cognoſcere poſſis, neminem alium tibi nominan-

nandum habeo, præter *Martinum Cruſium*, qvi *libros IIX Turco-Græciæ* ſcripſit: & *Davidem Chytræum*, cujus *Oratio de hodierno & antiqvo Græcarum Eccleſiarum ſtatu* publicè extat ſemel atqve iterùm edita. *De Turcarum origine* Italicè ſcripſit *Andreas Cambinus*: de eorundem *moribus & Republ.* Gallicè *Gvilielmus Poſtellus*. Faciet huc *Georgii Elmaceni* qvoqve *Hiſtoria Saracenica*, qvam *Erpenius* Latinè convertit: item *Leunclavii Hiſtor. a Muſelmannica*, itemqve *Pandectes rerum Turcicarum*. *Busbeqvii Epiſtolas de rebus Turcicis* ut commendem, cauſa non eſt: cum ab ſe ſatis illuſtres, & dudum ab aliis dilaudatæ. Habet & *Benjamin Tudelenſis Itinerarium*, qvod huc conferre poſſis. De optimi Affinis obitu meritò doleo veſtrâ cauſâ. Sed homines ſumus:

Nec devitari letum pote qvin obeamus.

Epigramma tuum in ſummum illum virum, qvem merito ſuo magni ſemper feci, impenſè ſanè placuit; non elegantiâ tantùm purâ illâ & inaffectatâ; ſed candore etiam & libertate recta monendi. Ita plane eſt: magnus in eo viro animus & generoſa perqvam indoles eſt. Sed nôſti illud *Auguſti*: *Haterius noſter ſufflaminandus eſt*. De itinere veſtro proximè cognoſcam. Vale, *Nobiliſſime Domine*, & me ama. Scripſi admodum feſtinanter ad d. XVIII. Junii Anno CIϽ IϽC XXXIIX.

LI.

Martino Opitio S. P.

VIde qvanta tua liberalitas ſit, *Frater jucundiſſime.* Nondum reſcripſi ad priores tuas, & tamen jam alteræ ſuperveniunt, qvæ adeò excitarunt veternum meum, ut largiter erubuerim. Tu verò macte iſto animo, *Frater*, ac ita habe, beari me prorſus, cùm tuis oneror. Tum qvod iis nihil elegantius, nihil terſius eſſe poteſt: tùm qvod expreſſa ibi notare ubiqve habeo certiſſima & luculentiſſima affectus tui atqve amoris erga me ſigna ac veſtigia. Non mentior, nunqvam reficior magis, qvam tua cum lego: & tùm demum bonâ mihi fide deponere videor, qvicqvid hunc animum mordet atqve ſolicitat. Itaqve pro Martis laudibus tibi ingentes ago gratias, divino carmine, & malè peream, niſi incomparabili, qvo & Ronſardum, cujus æmularis ſtudium, & ipſum illum Heinſium noſtrum, cujus judicium ſeqveris, prorſus æqvâſti. Non poterit aſcendere altiùs Muſa patria, & neceſſe eſt, ut acqvieſcat eo faſtigio, qvo tu collocâſti. Interim te ſeqvemur longe, & tua veſtigia adorabimus: ſic tamen non obſcuri prorſus morituri. Qvæ parvitas noſtra ſperare prohibet, à tuis divitiis exſpectabimus. Ac ſi tu nomen noſtrum tuo illi Palladio peplo intexere dignatus fueris, immortale erit. Falſus autem es in eo, qvod me aliqvid ſuper Paſſione Salvatoris meditatum opinaris ex meis. Falſus, inqvam, es: nam id ſignificabam,

bam, me ſimile qvid tentâſſe oratione proſâ ſcribere, qvod ad pietatis rem ſpectet. Cui curæ nunc totus penè vaco. Et qvidni? eâ lege nati ſumus, ut & nos dignos fingamus DEO, dum vivimus, & ita agamus, ut eſſe poſſimus cum Deo jam vitâ functi. Magna res eſt, eſſe Chriſtianum. Viderint, qvi ſectam mentiuntur: nec vivunt qvod profeſſi ſunt. Sed hæc ſeverior Philoſophia aliò differenda. Proximâ occaſione ejus Muſæ meæ ſpecimen mittam: nam nunc deſcribere non vacabat. Interim ſignifico eo corpore contineri varias proſas & Carmina: qvæ omnia circa negotium pietatis verſantur, & clementiſſimi numinis cultum. Eeqvid placitura aliis ſint, non ſum ſolicitus: ſcias enim hîc mihi me canere voluiſſe, an & tibi? Jam accipe Carmen in Pentecoſten proximam; item Oden Germanicam, qva luctum Cæciliæ Leiſeriæ ſolari conatus ſum, qvem ex obitu mariti Eraſmi Unruhii JCti conceperat. Adjunxi & fabulas paucas Æſopicas Jambis Latinis nuper conditas, cùm inter deambulandum Maximi Tyrii diſſertationes delibarem, qvas recens nactus eram. Tu boni conſule. Vix enim eſt, qvod ibi probare poſſis, præter conatus. De incendio pulcerrimæ veſtræ urbis non ſine magno dolore cognovi. Suppeditabit illa res carminis materiam, qvod pro ſolatio ſit illis, qvos acerbum illius diei fatum cumprimis afflixit. Imaginem tuam cum Jonâ vate in dies exſpecto, qvibus & Threnos Jeremiæ adjunges, ut & diploma Cæſareum,

 qvod

qvod, *ut Tu*** *appellites*) habere certè libenter velim: ut qvi ægerrimè caream, qvodcunqve ad te pertineat. Volo toto Opitio frui. Hæc ad priores tuas. Alteræ petebant à me M. Aurelii Comment. de vitâ ſua, pro illuſtriſſ. Mecœnate tuo. Qvàm vellem gratificari, frater? Nôſti hoc pectus. Sed illum librum neſcio qvis à me abſtulit: niſi fallor, ille Pompejus noſter fuit, ad qvem heſterna die literas dedi, qvamprimùm recepero, cum curſoribus transmittam. In noſtris bibliopoliis inveniendus ampliùs non fuit, qvæ omnia perſcrutatus ſum. Scripſi hac ipſa horâ Lipſiam ad amicum, ut tibi qvoqve inqvireret, qvo tuum tibi deſiderium implere poſſim, ſi ſpes de Pompejo fallat. At de amoribus tuis, *Frater*, ut lætus & lubens cognovi. Conſumta nunc eſt vulgi fabula:

- - Subiit leges & frena momordit
Ille ſolutus amor. - - - -

Qvam ſvave autem eſſet contueri veſtram felicitatem, & illos amplexus, illa oſcula, illos cæteros luſus, ac innocentes neqvitias coràm oculis uſurpare? Sed integris tamen, ſed illæſis, & qvibus Platonis Symmyſtæ mores ſpectant. Sed qvia hoc non licet, bonis interim ominibus vos proſeqvar: tu autem totam hanc tui amoris ſcenam literis proximis uberiùs nobis explicabis. De Grutero, qvod oblitus ſuprà, mihi curæ erit. Sed nihil vulgare, nihil plebejum hic comminiſcendum eſt; niſi incomparabilis viri manes nobis velimus iratos. Itaqve impetum exſpectare oportet. In obitum Kirchneri duo

hæc

hæc habeto Epigrammata, qvæ ſolâ brevitate nomen tueri poſſunt. Cætera longè abſunt. Scripſi feſtinantiſſimus: itaqve inconditis & elegantibus parum literis ignoſcas. Vale, *Dulciſſime mortalium*, & me poſt Tuam ama. Raptim d. XVI. Julii Anno cIↃ IↃc XXXIIX.

LII.

Conrado Davidi Büchero, S. P.

TAm bellè te expediiſſe meam rem, *Büchere mi præſtantiſſime*, & Dn. Brandiam annuiſſe tam benigne & lætor certè & veſtrum utriqve ago gratias, qvas par eſt. Vix erit tamen, ut venturus ante ſim, qvàm adoleſcere Auguſtus menſis cœperit: Niſi præter ſpem nobis abrumpantur interim retinacula morarum. Utinam fiat, ut reſtitui interim valetudini Rudolphus noſter qveat: & ego tùm eũ amplecti! qvis me tunc lætior erit beatiorqve? Fac ô DEUS! & vos interim cum nobiliſſima Domina ex ſententia planè agite ac valete, Rapt. ad d. XIX. Julii Anno cIↃ IↃc XXXVIII.

LIII.

Eidem S. P.

Mi Præſtantiſſime

Domine Büchere.

QVæ noſtro Rudolpho Francofurtum transmittenda fuerant, in ipſo articulo temporis allata ſunt. Tum enim veſtra advenit, cum

conſcenſurus Urſinus currum, atqve hinc abiturus eſſet. Itaqve omnia nunc curata ſunt, ut ad generoſam Dn. Brandiam fuſiùs perſcripſi. Ex cujus literis intellexi, nihildum affulgere ſpei de valetudine Rudolphi noſtri: qvod dici non poteſt, qvantum doloris attulerit. Ego auctor ipſi fui & ſvaſor, ut qvamprimum reducendum curet filium. Tum qvod valde graſſetur peſtis iis locis, ubi jam degit; tum qvia timendum ſummoperè, ne bellum iſtud inauſpicatum paulò propius admoveatur. Satius qvippe fore, ut aut ſecum ſuos habeat, aut in vicinia ſaltem. Eſt enim hæc ratio tutior, & curæ præterea minus ac ſumtuum habet. Seceſſus Wiſenburgicus dici non poteſt qvàm recrearit me, qvàm confirmarit valetudinem: qvâ multò meliore mihi nunc uti videor, qvam antè, etiam cum me rectè valere exiſtimarem. Ex qvo vides, qvantum generoſæ Dominæ & vobis omnibus debeam, qvi tam comiter humaniterqve me habuiſtis. Exſtabit hujus veſtri beneficii officiiqve memoria perpetuò apud me, ſeduloqve connitar ſemper, ut me viciſſim vobis gratum probem. Valete omnes & ſalvete. Witteb. raptiſſimè ad d. xxxi. Auguſti, Anno cIↄ Iↄc xxxviii.

Pſalmos Opitii proximâ occaſione Dn. Brandia accipiet: nondum enim eos abſolvit bibliopegus. Mitto qic Lipſii opera critica, unde tu illum Ovidii locum, de qvo agebamus proximè, explicatum habebis, ſi videris Cap. 2. l. 2. Electorum. Librum, da operam

ram, ut proximâ ſeptimana, cum occaſio mittendi fuerit, recipiam.

LIV.

EIDEM.

Salve.

MI *præſtantiſſime Büchere*, feſtinantiſſimæ ſcriptioni ignoſce. Nam eo ipſo articulo, qvo tuæ mihi redditæ ſunt, circa duo programmata funebria occupatus eram: & alterum qvidem, ut corrigeretur expreſſum typis, JOELI SIGLERO, cui hodiè funus fiet, deſtinatum; alterum ut conficeretur indicendis exeqviis Dn. Schultzii filioli, qvi ad diem craſtinum ſepeliendus. Ex qvo intelligis, qvàm nihil vacaverim. Sed nunc ad tuas ſine ambitu & ambagibus, qvæ otioſorum propriæ ſunt. Et verbum *depretiare* qvidem à pretium eſt, unde veteres pretiare dicebant, pro in pretio habere, ſeu ponere, ſive magnificare ac æſtimare; qvo Symmachus, qvi amat fermè ἀρχαΐζειν, alicubi uſus. Huic contrarium, & inde compoſitum *depretiare* eſt: de pretio imminuere, vilipendere, dehoneſtare, contemtim habere aut facere. Tertullianus *Apologetico: Sic & Epicurus omnem dolorem cruciatumqve depretiat.* Et eſt hoc verbo Pater ille aliis qvoqve plurimis locis uſus, uti & Cyprianus. Sidonius Apollinaris *lib. II. Ep. X.* extrema: *Igitur incumbe, neq; apud te literariam curam turba depretiet imperitorum.* Veteres gloſſæ: ἐλαττωθέντες *depretiati.* Iſidorus qvoqve *depretiatus, vilis, nec*

aliqvo pretio dignus, interpretatur. De Servio qvidem in illis verbis inclementiùs paulo ipſi à Lipſio dici, uti opinor, arbitraris, qvod deliria multa ipſum deliráſſe perhibeat. Ac eſt modeſtiæ qvidem ac humanitatis, nihil magnoperè exprobare aliis, ac libenter iis ignoſcere ſuos errores; Sed magni animi eſt, nihil diſſimulare, atqve adeò ſcapham vocare ſcapham: qvippe qvi nihil aliud qvam veritatem reſpiciat. Qvare & Ariſtoteles, niſi fallor, in *Nicomach.* obſervat, magnanimos nonnunqvam malignos videri, qvanqvam non ſint, cum notare atqve perſtringere libere ſoleant, qvæ ſtare non poſſint. Non ut in contemtum adducant alios atqve depretient, (qvod maligni & invidi maximè qværunt,) ſed ut veritati ne deſint, qvam unicè ſemper intuentur. Eſt Servius qvidem eruditiſſimus Grammaticus: ſed qvod huic generi proprium qvaſi eſt, non raro ineptit atqve delirat. Qvod præter Lipſium & alii eruditione literarum maximi viri obſervarunt. Ut nihil præter verum dixiſſe Lipſius exiſtimandus: qvod exemplis demonſtrare, nunc tempus & otium non eſt. De Juſti noſtri valetudine meritò doleo. Faciat ille, per qvem nos facti, ut brevi convaleſcat. Valete omnes ex animi voto, & ſalvete. Wittenb. ad d. III. Sept.

Anno cIↃ IↃC XXXVIII.

LV.

EIDEM.

QVas heri ad te feſtinantiſſimè, qvia occupatus, dedi, eas cum Lipſio rectè te accepiſſe confido planè. Nunc cum præſentibus venit Opitii Pſalterium, nullo ornamento externo fulgens; qvod illo, qvod in ſeipſo habeat ſcilicet, ſatis ſe commendare poſſe videretur. Id Heræ ut exhibeas, & tuâ qvoqve operâ gratum reddas magis, etiam atqve etiam abs te peto. Ego hic nihil aliud reſpexi, qvàm ut pietatem optime de me meritæ matronæ ex parte probem. Valete & ſalvete omnes. Wittenb. ad d. IV. Sept. Anno cIↄ. Iↄc XXXVIII.

LVI.

HENRICO à FRISEN S. P.

QVàm lætor tuâ cauſa, HENRICE, & de felice reditu tibi gratulor nunc, tam ex te audire geſtio totius itineris hiſtoriam, qvæ videris, audieris, didiceris: qvanqvam neſcio, qvo jure hoc de te poſſim dicere tàm docto, tàm erudito ad ſtuporem Eqvite, & tot, vel ante uſum qvoqve, ingentium ac maximarum rerum perito! Plena nunc qvidem artificiis omnia ſunt: ſed qvid non penetrare perſpicaciſſimæ mentis acies aut indagare ſagaciſſima tua induſtria qveat? Ego vero dum tu in luce rerum agis, atq; inuſitati ingenii tui dotes in ipſa Imperatoriâ aulâ

cum magnâ omnium admiratione explicas, ipſe interim inter febriles æſtus aliqvot dies perdidi; & qvamvis nunc valetudinem recuperâſſe nonnihil videar, non ſatis bonâ fide tamen venire in gratiam cum Muſis qveo. Et veniunt illi præterea in ipſo articulo iſto terrorum nuncii ex Marchiâ, qvi & fortiſſimis metum ac ſolicitudinem incutiant: nobis vero omnem propemodum ſtudendi curam excutiant. Utinam vanus augur ſim: ſed vereor valdè, ne inſtans auctumnus, & qvæ ventura hiems imminet, immenſā mali vim, & qvendam decumanū fluctum Academiæ & nobis importet. Nudius tertius ab HEINSIO literæ mihi redditæ ſunt, qvas ipſas mittere malui, qvàm per compendium earum mentem explicare. Accipies una, qvas ad te dedit, & meis adjunxerat. Qvas niſi hoc improbum petere, nimioperè mecum cummunicari velim. Qvid frater CAROLUS agat, ut valeat, ſcire aveo: cui in præſenti ſcribere non potui per occupationes, qvæ diſtinebant. Mirè aveo videre illius manum, & teſtes affectus literas. Itaqve qvò citius eas permittet ad nos, hoc qvoqve majore beneficio afficiet. Vale decus meum, *Nobiliſſime HENRICE*, meqve ama & Generoſo Parenti, qvæſo, commenda Raptim ad d. x. Septembr. Anno cIↄ Iↄc XXXIIX.

LVII.

Conrado Davidi Büchero.

ET Juſti noſtri valetudo,& qvæ de Rudolpho ipſo ſcribis, mirum qvantam doloris vim ac ſolicitudinis mihi attulerint. Interim tamen nondum abjeci omnem ſpem: & ſi humanæ o-" pes deficiunt, nondum de divinis deſperan-" dum tamen eſt.

- - - θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.

Germanica tua nunc mitto tandem: extantioris qvæ videbantur culpæ vel notavi, vel emendavi. Et facile videbis, qvæ tibi in poſterum erunt vitanda. Dies diem docet: & qvicqvid in præſenti deeſt,crebra exercitatio abunde ſupplebit. Aliud vinum curaſſem nuper adferri, cum prius perditum eſſet fractis vitris, niſi portitor ſe ſubduxiſſet,dum uxor mea de inveniendo receptaculo commodo fatagit, non aſſeqvendum iis, qvos miſeram, qvi eum retraherent à viâ. Ligneum iſtud veſtrum vas cum ſtanneo meo mutavi, ne qvid odoris mali à pice,qvo oblitum,traheret vinum,& optima merces corrumperetur. Vale,Wittenb.ad d.XVIII. Sept. Anno CIϽ IϽC XXXVIII.

LVIII.

Eidem.

PRæſtantiſſime mi Büchere,& literæ tuæ,& cætera, qvæ iis junxeraſ, Lipſius puta, itemqve aviculæ triginta numero,rectè ad me perlata ſunt.

ſunt. Ac de aucupio vobis ago gratias, tibi inqvam, & Friderico; ita enim factum, ut hodie paulò delicatius ſim cœnaturus. De frumento qvæſo, mi B. vide diligenter, an qvid in vicina Marchia coëmi meâ pecuniâ, & poſt deinceps huc advehi meis ſumtibus poſſit. Qvæ res eo maturanda magis, qvo metuendum eſt magis, ne Cæſareanus miles hibernaculorum cauſâ in regiones haſce concedat. Lipſiæ res mira accidit. Qvidam legatus Svecicus *Chriſtianus Beckerus*, cui ſuperiori anno comburendi pontis noſtri datum negotium, neſcio qvid ſimulans, eò venit, clamqve conduxit manum aliqvam eorum, qvi ipſi adeſſent, qvum Erfurto aliqvot legiones per Thuringiam excurrerent, direptaqve & incenſâ urbe totam Miſniam ſecum pervagarentur. Idem ſubmittere voluit, qvi Sereniſſ. Electorem, aut in venatione, aut in itinere interficerent, itemqve Schleinizium Commiſſarium. Sed patefactum negotium, per optionem qvendam, qvem ſibi Beckerus maxime fidum habuit, & ipſe ſtructor impii doli cum omnibus, qvos habuit ſecum, datus in vincula, aſſervatur. Deo magnæ agendæ gratiæ, qvod diſturbavit iſtam machinam, qvæ longe triſtiſſima & acerbiſſima nobis minabatur. Valete & ſalvete omnes. Raptim, ad d. XXIII. Sept. Anno cIↃ IↃc XXXVIII.

LIX.

LIX.

Friderico à Metzſch.

Generoſe, Magnifice ac Summe Vir, Præſes Eminentiſſime.

UTi ſemper aliàs benè ominari tibi, *Patrone ſumme*, & pro ſalute tua, cui non parum publica debet, convenit; ita hoc ineuntis novi anni tempore in eam curam incumbere maximè decet, non modò ut pietati meæ, ſed conſvetudini etiam faciam ſatis. Gratulor itaqve, *Patrone*, qvod ſic finieris annum proximum, ut conjugem pignoraqve tua ſalva teneas, ut rem & familiam univerſam: itemqve precor, ut qvi nunc annus iniit, tibi & tuis, cum multis ſeqventibus felix undiqvaqve & fortunatus exeat, ac ut abunde ſemper in te conferat Numen propitium, ac cumulet, qvæ pietas tua jamdudum præmia meretur ac virtus; & ego non deſinendis votis perpetuò precabor. Poſtqvam meæ pietati in te, *Patrone ſumme*, ſatisfeciſſe in præſenti videor, tua nunc imploranda eſt benevolentia, qvam nunqvam non iis præſtare ſoles, de qvibus egregia aliqva ſpes eſt concepta. Paſtoratum Dhamenſis Eccleſiæ hic noſter M. Georg. Förſterus ambit. Neqve enim ampliùs habet, qvo niti præſidio, & ſuſtinere ſtudia ſua deinceps poſſit. Noſtrum dico, & qvia Academiæ noſtræ civis jam olim, & qvia alumnus Electoralis: utrumqve cum ſingulari certè laude. Ut impetret, & rem confectam habeat, in tua cumpri-

primis manu poſitũ eſt. Qvam, *eminentiſſime Præſes*, benignè ut porrigas homini, digno cumprimis beneficio tuo, etiam atq; etiam abs te peto. De eruditione ejus Philoſophica, qvæ ſanè egregia eſt, nunc nihil dicam. Neq; enim mittendus in Scholam eſt. Theologicis autem literis ita (ſi de hoc ſtudiorum genere aliqvid judicare poſſum) inſtructus eſt, ut audacter in illis numerandum putem, qvi plurimum profecerunt. Concionator bonus eſt, moratus ita, ut eſſe exemplo etiam qveat. Qvod ſane magnum momentum habet in bono paſtore. Ad eam qvoqve pervenit ætatem, ut regere alios utiliter qveat. Qvæ tot laudabiles res facilè, puto, impetraverint abs te, *Patrone ſumme*, ut favere ei, ac benè cupere prolixe velis. Fac hoc, fac, *Nobiliſſime Domine*, non tàm ut intercedenti mihi illud des, qvam tibi ipſi potius, qvi hanc jamdudum laudem & gloriam propriam tibi reddidiſti, ut non deeſſe iis temerè ſoleas, qvorum virtus ut proveheretur, mereri poſſe videbatur. Vale, *Præſes eminentiſſime*, & anchora eſto qvaſſatæ huic noſtræ jam ante nimis & nunc in novis fluctibus laboranti navi. Deus te ſervet. Witteb. ad d. XIII. Jan. Anno cIↃ IↃc XXXIX.

LX.

Matthiæ Hoë ab Hoënegg,

Reverendiſſ. Magnif. ac nobiliſſ. Vir, Præſul ſummopere venerande.

EX veteri & jam elapſo anno lætum atqve incolumem novum iſthunc, *Patrone magne*, te

te eſſe ingreſſum, & mihi vehementer gaudeo, & tibi gratulor cumprimis. Eat hic ipſe, & exeat cum plurimis aliis proſper ac felix, tùm tibi, *Patrone*, tum tuis qvoqve, ut diutiſſimè hoc publico bono in tantis iſtis malis frui liceat, qvod dudum benignè in omnes ſpargis. Cujus partem ut huic qvoqve M. Georgio Förſtero indulgeas, & ipſe optat mirificè, & ego qvam officioſiſſimè abs te peto. Ambit Dhamenſis Eccleſiæ paſtoratum; uti exambiat, vel maximè, *Patrone magne*, efficere potes. Nec ſe indignum videtur hoc munere præbere, ſi & ætas matura hominis, & non vulgaris eruditio, & compoſitio morum ad gravitatem qvandam facta (qvod ſacerdotem cumprimis decet) æſtimanda. Qvi cum maternum præterea genus à magno illo Theologo, & Confeſſore fortiſſimo D. Georgio Mylio ducat, poſſit & iſto qvoqve nomine videri dignus beneficio tuo eſſe. Trado itaqve tibi hunc hominem tanqvam materiam laudis novæ, ſi eum tibi aſſeras ex hac fortuna, qvæ ipſum premit iniqvis modis, & fato, qvo dignus, benevolè dones. Qvem commendare in præſenti non alienum exiſtimavi à me, qvod & alumnus eſſet Electoralis, & Academiæ noſtræ jam olim præclarus civis. *Patrone magne*, Deus te diutiſſimè ſervet. Witteb. ad d. XIII. Jan. Anno CIƆ IƆC XXXIX.

LXI.

LXI.

NOBILISSIMO DOMINO,

HENRICO à FRISEN

Conſ. Elect. S. P.

REdirent nunc ad te, *nobiliſſime Domine,&* Heinſiana epiſtola,& Junii *de pictura veterum* libri,niſi in ſocietatem aut communionem potius hujus, qvod indulſiſti liberaliter, boni venire paſſus eſſem amicos meos, qvi, cum vidiſſent apud me, & legere cupiebant. Nôſti facilitatem meam, tum qvantum fiduciæ mihi poſitum ſit in præcellenti bonitate tuâ. Sic igitur factum eſt, ut illis conceſſerim, cùm eſſem uſus ipſe ſatis; ſperans hanc veniam non ita difficulter abs te me impetraturum. Heinſiana epiſtola ubiqve loqvitur auctoris genium; cui ſicut in cæteris aſſentior planè,ita in eo non ſatis liqvet, cùm Chriſtiano Poëtæ omninò fas eſſe putat, Deorum gentilium vocabulis per metonymiam ubiqve uti: idqve exemplo veterum; qvorum eruditio juxta & ſanctitas fuit admiranda. De Tartari, Inferni, Furiarum, Phlegetontis, Plutonis &c. vocabulis, res manifeſta eſt. Sed Bacchum pro vino, Minervam pro ſapientiâ, Jovem pro aëre, & alia iſtiusmodi dixiſſe veteres,Chriſtianos puta, vellem exemplis ut demonſtrâſſet. Ego nihil hujusmodi legiſſe memini; & poſſum ex Auguſtino, Lactantio, Hieronymo, Origine adducere auctoritates, unde conſtare poſſe videatur, id planè habitum nefas in Eccleſia antiqva. Junii ſcriptum

ptum ut eruditum & plane Philologum eſt; ità ſi recte judico, gravitate judicii in aliqvot partibus deſtitui videtur. Nam ſi exegeris omnia, multa extra ſubjectum ſunt, & qvæ alio potius referenda ſint, qvàm ad picturam, de qvâ ingreſſus eſt ſcribere. Magni ſcriptores etiam illa relinqvunt, qvæ qvidem ad argumentum pertinent, ſed magnum momentum non habent, & tantum in neceſſariis atqve illuſtribus maximè occupantur. Hic & leviſſima ſectatur, & aliena etiam aſſumit. Interim gratias debemus pro navatâ operâ: neq; enim diffiteor eſſe ibi, qvæ juvare nos poſſint. Si juvenis eſt, vel laudo etiam: nôſti mores ætatis: ſin profectioris ætatis, vellem paulò alienior fuiſſet ab oſtentatione eruditionis, qvæ in matura judicia non cadit. Sed hæc ad te, *nobiliſſime Domine*; non ut reprehendam, ſed ut experiar criſin noſtram, ſine ullius injuria: qvòd deponantur in ejus ſinu, qvi nec deflecti à recto, ſi falſus ſim, neqve offendi etiam poſſit, ſi vera maximè dixerim. Qvorum alterum inſignis doctrina cum incomparabili judicio prohibet; alterum verò, qvod nôſti, candorem noſtrum nullo atræ loliginis ſucco infectum eſſe. Ipſi libri ad te redibunt proximè. Qvam pavvam moram ut liberaliter velis concedere, etiam atqve etiam rogo. Generoſo Domino Parenti me commendabis. Si qvid de Carolo noſtro, fac ſciam. Nos ſtrenuè eſurimus: pejorqve indies fit noſtra conditio. Ferenda tamen ſunt, qvæ mutari non poſſunt. Vale, *nobiliſſime Domine*, & me deinceps amare perge. Witten-

 ber-

bergæ ad d. v. Martii, Anno CIↃ IↃC XXXIX. feſtinanter, ut vides, atqve inconditè ſatis.

LXII.

Rudolpho à Brandt.

Occupationibus meis factum eſt, *Rudolphe, ſvaviſſime*, qvod nondum ad tuas proximas reſpondi: & ut nunc qvoqve brevior ſim, qvàm vellem, eâdem accidit cauſa. Qvod ut utrumqve condones nobis, primo omnium peto. Qvod ſcribis, moleſtè te ferre abſtractum denuò ab Academicorum ſtudiorum curſu, facilè aſſentior. Nam ut de cæteris nihil dicam, qvantum momenti poſitum ſit, ad eruditionem prudentiamqve parandam, in qvotidiana conſvetudine cum peritis ac doctis, in aperto eſt; ſed tamen parendum neceſſitati, cui qvi ſe accommodat, probè is, ſi Euripidem audire velis,

Sapit, eſtqve rerum divinarum conſcius.

Nôſti, qvid faciant, qvi aleam ludunt? Si id non cadit, qvod jactu eſt opus, illud, qvod cecidit forte, corrigunt arte: Id & in præſenti tibi faciendum meminiſſe debes. Non terga vertenda fortunæ ſunt. Ire contrà, virum & magnum animum decet. Vulgaris hominis eſt, indignari fato; Ferre præſentia, & ut ſe dant res, acqvieſcere iis, generoſi ac ſapientis. Vin Sophocleum illud addam, non alienum hujus loci? Imo vis, & cum de noſtro nil licet promere, perbelle aliena proferuntur. Qvid igitur cothurnatus ille & ſapiens Senex?

Qva

Quæ gravia reputes, vertere in melius licet,
Hæc ſi adminiſtres, ut decet, ſatis probe!

Vivis in rure? Sed cujus amœnitas & ſilentium maximè ſtudia invitat: & nonne Muſas ipſas in ſolis locis & cacuminibus montium colere credimus ac habitare? Sed nemo adeſt, qvicum diſſeras, teqve exerceas: primo te ipſum habes, & ſæpè una intenta meditatio plus confert boni, qvam plures ſæpe auditiones. Deindè ut taceam de fratribus, habes Bücherum tecum, qvocum de literis, de Philoſophia & artibus bonis colloqvi nunqvam non copia eſſe poteſt. Qvid nunc de optimo & incorruptiſſimo ſodalitio librorum tuorum dicam? qvorum lectio, ut fideliſſime præcipit, ſic ſaluberrimè etiam exercet. Hos itaqve volve, hos lege aſſiduus; ſub tecto pariter, atqve ſub dio, etiam in umbra, ſub arbore antiqva ſtratus in gramine molli, invitante anni tempeſtate. Licet & aliqvando pugillares cum ſtylo arripere, ſcribendiqve capere impetum, & vel Poëticam vel Oratoriam Muſam, inter ipſa ſylvarum ſecreta, meditari. Sic in media ſolitudine habebis penè aliqvid plus Academia, & experiere non magis Dianam nemoribus, qvam inerrare & ipſam Minervam. Vale & nos ama. Raptim ad d. xx. Jun. cIↃ IↃc xxxix.

LXIII.

Conrado Davidi Büchero S. P.

Præſtantiſſime mi Büchere.

DUbitavi hactenùs, utrùm perlatæ ad te po-

ſtremæ meæ cum faſciculo eſſent: cum neqve reſponderes ipſe; nec qvicqvam earum nobiliſſ. Rud. noſtri literæ, qvas interim accepi, meminiſſent. Sed eum æſtum reqvieverunt hodiernæ tuæ, & eo nomine jucundiores qvoqve venerunt. De mulcta illa, de qva ſcribis, nihil hactenùs audivi. Neqve tamen nunc miratus ſum. Nam ita gerimus bella, ut plus injuriæ in cives redundet, qvàm damni in hoſtes perveniat; nec tantùm ignaviæ, ſed injuſtitiæ etiam nota penes nos maneat. De muſéo veſtro benè res habet. Et ſumſi tandem mihi his proximis diebus tantum, qvanqvam non conceſſa à vobis venia, ut res transferrem veſtras in illud ſuperius conclave. Ex qvibus nec corruptum nec amotum fuiſſe aliqvid, res ipſa olim docebit, cùm experiri fidem ac diligentiam meam tempus erit. Ad publica qvod attinet, mirum in modũ nos recreârunt heſterni nuncii, qvibus afferebatur, & Cæſaris & Svecorum Legatos conveniſſe Dreſdæ, qvi nobiscum de ineunda pace deliberent. Miſſos à Cæſare ejus gerendi negotii cauſa Martinizium & Michnum iidem ferebant, qvos ex Pragenſi præcipitio evaſiſſe ſalvos, meminiſſe poteris. Utinam verò eorum operâ collapſa iterum reſtauretur pax, & ſtabiliatur, qvi dato in præceps caſu ſuo & ejus ruinam attraxerunt. Commentatiunculam noſtram & generoſæ Dominæ, & vobis non ingratam fuiſſe lætor ſanè. Amamus enim ſemper noſtra, licèt amore magnoperè digna non ſint. Si pacis negotiatio ſucce-

des

det rectà, alia nobis recludentur ſpatia, in qvibus cujusq;boni & amantis pacis ingenium ſeſe exerceat. Domino Rudolpho excuſa me qvæſo, qvod neqve nunc reſpondeam. Nam ita me Deus amet, tantum otii mihi non fuit in optimi noſtri Nigrini hæreditate ordinanda occupato. Vale, & ſalvete omnes. Raptiſſimè ad d.IV.Septembr.Anno CIↃ IↃCXXXIX.

LXIV.

Rudolpho à Brandt, S.P.

NOn dubitare debes, *mi nobiliſſime & ſvaviſſime* R*udolphe*, jucundas mihi & perqvam gratas adveniſſe tuas. Tùm qvia à te, qvem impenſiſſimè atqve ex meritò qvidem mihi amari nec ipſe ignoras, tùm qvia tales veniebant. Nam qvid de iis aliud dicam, qvàm elegantes, terſas, & perqvam Latinas non modò, ſed & diſertas prudentesqve eſſe? Qvæ ut ſummæ laudis ſunt, ita non potuerunt mihi eas ſummoperè non commendare. Qva ita perſvadeas tibi velim, *Rudolphe*, ſi & porrò in iſtas res naves operam, & te ad eloqventiam, qvæ maximè convenit homini nobili, ſimili contentione exerceas, non modò plurimùm profuturum tibi, ſed & gratiſſimam rem facturum mihi, ſi has μελέτας tuas mecum communicare volueris. Sed tuæ qverelæ illæ, ut ſunt juſtiſſimæ, & maximè arguunt egregiam voluntatem in ſtudia; ita reprehendi à nemine, niſi temerè atqve iniqve poſſunt. Sanè mitioribus fatis digna erat præclara hæc indoles, & verè nobilis animus, qvo

te ornavit Deus benigniorqve naturâ; ſed qvia alia nobis fluere non poſſunt, ferendum leniter, qvod mutari non poteſt. Fruſtrà expoſtulamus cum fortuna, niſi expoſtulare cum DEO, qvod abſit, volumus. Neqve enim abs ſe fortuna qvicqvam eſt: & qvicqvid eſt, aut appellatur, id totum eſt DEI. Qvare & *providentiæ filiam* prudenter juxtà & pie *Pindarus* pronunciavit. Qvicqvid autem de nobis ſtatuit *D*eus, id juſtum bonumqve arbitrandum eſt, licet aliter nobis videri qveat. Abſurdum enim eſt credere, qvicqvam venire mali à bono poſſe: atqve à ſummo qvidem bono, & cæterorum omnium fonte. Qvare cum votis noſtris fata contraria temperat, non id credamus ipſum facere, ac ſi nocere, aut ſaltem obeſſe nobis velit, qvod ſane facere impium; ſed ut conſulat nobis & proſit. Neſcimus homines, qvæ nobis hodie eventura ſunt; nedum de longè poſitis ut aliqvid certi poſſimus promittere. Et qvotusqvisqve indubitatum habeat, ſi hanc vel illam artem didicerit, ſi his vel illis rebus excoluerit ingenium, id magno emolumento & commodo fore? Nonne pluribus ſua ſcientia ac eruditio exitio fuit? Et multi adeò hoc ipſo infelices & miſeri facti ſunt, qvod indulgentem optatis ſemper habuerunt fortunam. Longe abes adhuc ab illa ætate, qvæ plane inepta ad ſtudia eſt. Poſt annum xxx. demum ſeriò Scaliger incumbere literis cœpit. Priores vel in aula, vel in bello exegit: nec qvicqvam minus potuit, qvam eum promittere, qvem poſteà egit. Noſti illud Petronia-

nianum: *Qvod hodiè non eſt,cras erit.* Sic vita truditur. Interim enitendum eſt,ut,ſi, qvæ velimus,nefas ſit diſcere,diſcamus, qvæ poſſumus: nec inter qverelas inutiles elabi tempus patiamur: Enimverò

Neceſſitati qvi probe ſe aſtemperat,
Sapit,eſtqve rerum divinarum conſcius.

Ego verò opto,ut cœpta tua ſecundet Deus, qvi ſolus poteſt,& qvæ ſublapſa fuerint, mox excitare in melius,& vel ex nullo efficere magnum, nedum parvo. Vale, *mi Rudolphe*, & ſalve cum generoſa matre,nobiliſſ.fratribus & Davide noſtro.Raptiſſ. ad d. XIV. Octobr. Anno CIↃ IↃC XXXIX.

LXV.
EIDEM.

VAldè mihi gratæ fuerunt tuæ, *nobiliſſime Rudolphe*,tùm qvod eruditè ac eleganter ſcriptæ eſſent, qvod nunqvam non tenere ac ducere ſolent,qvi Muſis & Gratiis potuerunt litare: tùm qvod erectum contra fortunam & iniqvitatem noſtrorum temporum animum teſtarentur. Qvi ut mirifice ſemper decet, qvi loco nobili nati ſunt,ſic comparandus imprimis concinnandusqve eſt,niſi naturâ abſit, qvi ſapientibus literis animum impendunt. Qvantum enim eſt, præclara præcepta complecti animo, noſſe exempla egregia & maximorum virorum invictas voces tenere,ſi tantū in ſermone eruditè ac concinne exponere poſſis, non vitâ ipſa exprimere velis? Perit omnis induſtriæ fructus, ſi Scholæ tantum non vitæ ipſi diſcamus; aut ut di-

diſerti habeamur, non ſapientes ac boni. Aliter multò ſtuduerunt æternæ illæ animæ, qvas colit Antiqvitas, & nos hodieqve miramur ingentes earum virtutes. Qvalis Cato ille fuit, de cujus Philoſophia cum protuliſſet nonnulla Tullius, ita ſubjungit: (*Orat. pro Murana*) *Hac homo ingenioſiſſimus M. Cato, auctoribus eruditiſſimis inductus arripuit: neqve diſputandi cauſâ, ſed vivendi.* Item ille Priſcus Helvidius, de qvo Cornelius Tacitus noſter: (*Hiſt. 4. 5. 3. illuſtre ingenium*, inqvit, *altioribus ſtudiis juvenis admodum dedit, non ut pleriqve, ut nomine magnifico ſegne otium velaret; ſed, qvò firmior adverſus fortuita Rempublicam capeſſeret, doctores ſapientiæ ſecutus eſt. &c.* Et noſti, qvæ tuus Cornelius, imò & noſter Nepos ille, de *Attico* ſcribat, cum ſummorum Philoſophorum præcepta ſic habuiſſe tradit, *ut iis ad vitam agendam, non ad oſtentationem uteretur.* Horum igitur maximorum virorum exempla, *mi nobiliſſime Rudolphe*, conſectare deinceps qvoqve, & vulgus iſtud ignobile ſuis relinqve cathedris, extra qvas nihil unqvam ſapere videntur. Pulchrum etiam & mirificè decet elegantem hominem, erudite de rebus ad vitā pertinentibus diſſerere poſſe & loqvi; ſed multò excellentior gloria illos ſeqvitur, qvi factis ipſis, qvæ didicerunt egregia, oſtendere ſolent; qvi finis omnis eruditi laboris ac ſtudii, qvod in hoc genere ſumitur, eſſe debet. Qvare ſemper mihi magnifica viſa eſt illa Epaminondæ commendatio, qvâ neſcio qvem ex Pythagoreis proſecutus eſt, ut *Plutarchus*, ni fallor,

re-

referet; qvem dixit veniſſe in Italiam, *ut pulchris factis pulchras ſententias confirmaret.* Imitemur Rudolphe! & qvanto poſſumus opere, inſtructi doctrinis veterum atqve exemplis illuſtribus, velut armis qvibusdam, nos adornemus adverſus fortunam, qvæ in nos pugnat. Nec concedamus, ut tantis opibus freti, vertamus terga & fugiamus. Sed ſatis philoſophati ſumus. De compoſitione tua id tibi perſvade, eam ſe nobis mirum in modum probaviſſe, cùm inventione, tùm dictione; qvæ utraqve optimi cujusqve imitationem palàm præfert. Qvæ in ea pauciſſima notavi, (remitto enim exemplar) in bonam partem accipies. Et niſi fallor, hoc fine eam ad me direxiſti. Multum autem tibi conſules, ſi ſubindè aliqvid hujusmodi cudas: tùm ut exerceas ſtylum, tùm ut opinionibus optimis animum qvotidie magis ac magis imbuas. Melius enim hærent, qvæ lecta primum, & poſt deinceps ſtylo tractata ſunt. Et ſemper lectionem ſtylus, hunc lectio excipere in iis debet, qvi diſerti ac eloqventes evadere velint. Feſtinantiſſimus & raptim planè hæc ſcribo ad te: qvapropter tàm accuratè exeqvi omnia haud licuit, qvàm par erat: & tu benignè hoc nobis ignoſces. Generoſam Matrem tuam, inuſitatæ virtutis fœminam, qvam ea de cauſa nunqvam deſinam admirari, ut officioſiſſimè à nobis ſalutes, etiam atqve etiam te rogo. Salvete omnes egregiæ animæ, & me amate. Wittenbergæ ad d. xx. Novembr. Anno cIↃ IↃC XXXIX.

LXVI.

Conrado Davidi Büchero, S. P.

PRolixitatem literarum tuarum, qvas dediſti proximè ad me, ad prolixum illum ac ſingularem amorem tuum interpretor, qvo hactenus me conſveviſti proſeqvi. Qvocirca ſtatuere omninò debes nihil illis jucundius mihi gratiusqve potuiſſe accidere. Præcipuè cum ad prolixitatem elegantia ſermonis venuſtasqve dicendi accederet; qvæ nusqvam tædium ſoporemve ſinebat obrepere, & animum ſemper *recentabat* qvaſi, ut veteris Poëtæ verbo utar. De re ipſa verò, de qva qværebas, ita habe. Te jus æqviſſimum poſtulare, ſi petas rogesqve, ut aliqvando tandem tot exantlatorum laborum fructus aliqvis ad te redeat: & ſi viliſſima miniſteria ſuis ſolatiis non deſtituuntur, tibi imprimis exhibeatur digna merces, aut ſi id non poteſt, conſtituatur ſaltem, & tibi de ea commode caveatur. Iniqviſſimum etenim fuerit, te florem ætatis tibi debitum impendere aliis, tuasqve negligere, ut alterorum utilitates maxime cures, dum intereà ſine ſpe digni præmii vivendum propemodum ſit, nec qvicqvam certi habeas, tibi qvod polliceri indè poſſis. Teſtis ipſe tibi eſſe poſſum, qvâ fide, qvâ diligentiâ hactenus commiſſas egeris partes. Qvare ſi compellandam hoc nomine generoſam Dominam Brandiam cenſeas, eqvidem non defugiam partes, & ſedulò ac perlibenter hanc

ope-

operam tibi navabo. Nec ſuccenſebit ea de-re,ut ſpero,aut nobis,aut tibi,qvæ virtus fœminæ & æqvitas eſt, aut ſe difficilem præbebit in concedenda hac venia nobis. Qvare, qvam primùm ad nos perſcribes,qvid ſedeat animo, & qvid à nobis fieri velis, diſertè ac ordine explicabis. Tùm ſine mora id diligenter enitar, qvod tibi ac rebus tuis maximè conducet. Vale. Wittenbergæ,ad d.xx.Novembr. Anno cIↃ IↃc xxxix.

LXVII.
Rudolpho à Brandt, S. P.

Nobiliſſime mi Rudolphe.

QVòd hactenus nihil reſpondere potui, qvod geſtii ſanè facere, curæ qvædam effecere & negotia; qvibus qvia neqve tum liberare planè licuit,nunc qvoqve & brevius, & negligentiùs, qvàm deſtinaveram,ſcribendum eſt. De præceptis Politicis, qvæ tibi verſanda in poſterum eſſent, qvod qværebas, ita habe: Ariſtotelem maximè dignum videri , qvi ediſcatur totus. Hic ille fons eſt, undè cæteri omnes duxêre latices: & cui maximè debent, qvicqvid aut ordinis aut bonitatis tibi invenitur. Hunc itaq; tere,hunc volve diurnâ nocturnaqve manu, & hunc audacter judica Politicorum aqvilam eſſe & Coryphæum. Sed qvoniam is artificium tegit fermè,ut lectoris accendat ſtudium, adhibendus eſt, qvi aperiat atqve enucleet, ut tota ſtructuræ ratio conſtet. Puto hoc facere poſſe,

qvæ

Digitized by Google

qvæ in auctoris maximi hos ipſos libros Robertus Giphanius aliiqve ſcripſerunt; ut & Jacobi noſtri Martini Politica inſtitutio; qvæ, niſi fallor, hoc Ariadnæum filum tota ſecuta. Conzenii opus diffuſum & magnum, eruditum tamen, & ad res noſtras valde accommodatum. Qvare non inutile erit legere, qvum ex Ariſtotele jam per compendium qvaſi doctrinam ipſam hauſeris & diſciplinam: ut roboretur ſcilicet auctoritatibus Chriſtianis. Legatus tuus nunc qvidem dimitti non potuit, ſed brevi redibit ad te, qvum lautitiis noſtris fuerit ornatus. Vale. Ad d. XVIII. Decembr, Anno ClↃ IↃCXXXIX.

LXVIII.

Conrado Davidi Büchero, S. P.

EGo verò omnino probo conſilium, & ſvaſor ſum, ut agatur cum Generoſa Domina Brandia, ne, ſi aliter facias, id fraudi tibi atqve incommodo ſit. Neq; ego detrecto partes: id tantum deliberandum tibi relinqvo; primò, utrumnè ſatius ſit, id ſcripto exeqvi, an verò ſermone atqve coràm. Cui oportunum tempus videntur promittere nuptiæ Hannovii doctoris, qvæ paulò poſt futuræ ſunt, ut heſternâ veſperâ ex Domina Marchioniſſa accepi, qvæ mirum in modum rem veſtram agit. Secundò, utrumne è re fuerit, te ſimulare his nundinis veniſſe literas à propinqvis, Patroniſqve tuis, qvæ jubeant ita te comparare res tuas, ut proximo vere capeſ-

capeſſere poſſis reditum in patriam, ſimul aliæ venerint, qvæ de vocent. Forſan ita futurum erit, ut ultrò generoſa Domina & ab ſe recordetur, qvæ ſui officii. Nam ſive ſcripto ſive ſermone admoneatur qvaſi, pudori alicui id erit; minori tamen, ſi ſcripto mandentur eæ partes, qvam ſi ſermoni: contra qvem imbecilliores plerumqve ſumus. Qvid videatur, perſcribe: ſtudium meum ibi nunqvam deerit. Vale. Raptiſſimè ad d. XXVIII. Decembr. Anno cIↄ Iↄc XXXIX.

LXIX.

Rudolpho à Brandt S. P.

CUr iniqvitati fortunæ ſuccenſeas, *nobiliſſime mi Rudolphe*, qvâ fiat, ut pietatem tuam erga me ſic, prout velles maximè, probare mihi haud poſſis, cauſa non erat. Nam qvod omiſſum unqvam abs te officii genus eſt, qvod aut exſpectare ipſemet poteram, aut te præſtare deceret cumprimis? Amo te, bono animo es: & niſi rectius ſentires de noſtris moribus, rogare inſiſterem, ne hos ad aliorum ingenium exigere velles. Nempe non latet, qvos δωροφάγους Heſiodus vocet. Reges nempe, & qvi divitias & opes, plerorumqve regum ac potentum exemplo, ſumma atqve præcipua putant in rebus humanis, qvæ nos non ſanè mirari magnoperè atqve ſtupere, & longè aliis rebus dediſſe animum, nondum, opinor, excidit tibi. Alios unus ab auro ſplendor ducat & moveat: Buchnero, ut hoc præfiſcinè dixerim, divitiis omnibus præſtantius habebitur, eruditum & literatum

tum

tum aliqvid legere, unde proficiat, & melior forte an etiam fiat. Eqvidem, *mi Rudolphe*, non elegantiore aut uberiore munere me ſalutare poteras, qvàm literæ tuæ exhibuerunt. In qvo neſcio, an pietatem animi, an eruditionem & venuſtatem dicendi magis mirer? De tua autem voluntate eximia in me, & ſingulari amore qvid dicam? Qvi tanti tibi viſus ſum, ut pro incolumitate mea inter publica vota ſolicitare Numen publicè intereſſe exiſtimares. Ego qvidem is non ſum, qvi ſuo ſeſe metiri modulo neſciat, ſuæqve tenuitatis oblitus ſit; delectat tamen hic pietatis tuæ error, qvo plura nobis tribuere ſuſtines, qvam modus ingenii & meritorum implere qveat. Qvare plurimum tibi de hoc prolixo affectu tuo in me debeo; eoqve magis me tibi obſtrictum ſentio, qvo ille uberior largiorq; exundat. Legatum tuum dimiſi tandem: & is redibit ad te non multò gravior, qvàm venit. Honoris tamen causâ dedi comitem, qvi deducat; ſed eâ conditione, ut in tua ſe jura penitùs transſcribat. Qvod facere eum ut tibi volenti ſit, oro. Cæterum non malè, opinor, conſules tibi, *Rudolphe*, ſi in hujusmodi diſſertationum genere ſubindè exerceas ſtylum. Ita enim fiet, ut & dicendi facultatem tibi compares, & optimas qvasqve opiniones de præſtantiſſimis rebus imbibas. Namqve & capiuntur plenius, & firmius hærent, qvæ non legimus tantùm, ſed ſtylo etiam fuimus executi. Hoc tamen memineris. Primò univerſam diſſertationem, qvam meditaris, ad capita certa revocandam, eo ordine,

ne, qvi naturæ & rationi maximè congruit. Qvod fit, qvum qvæ per ſe primi ſunt, primo ponuntur loco, & cætera eâ, qvâ alterum alteri ſuccedit, ſerie ſubjunguntur. Deinde videndum, qvomodo ſingula & confirmare & amplificare, & exornare qvam luculentiſſimè liceat. Qvod dum facimus, non ita neceſſe eſt, ſervare ordinem, ſed prout impetus fert, nunc hanc, nunc illam partem elaborare: & ſic ex omnibus, qvum abſolutæ fuerint, unum connectere & concinnare argutè corpus, ut aptè & ſvaviter omnia hæreant, & partes deprehendantur magis rimantibus, qvam ultro ſe offerant. Sic & nihil confuſè dixeris, & boni Oratoris laudem facilè auferes, in qvo maxima ars eſt, artem occultare. Vale, *mi generoſe Rudolphe*, & tibi ſtrenuè vindica, nec qvicqvam bono tranqvilloqve & ſapiente animo, qvem doctrina & diſciplinæ concinnant, præſtabilius puta in rebus humanis. Qvas nemo veriùs æſtimabit, qvam qvi ventum & fumum omnia ſtatuet, & ſolam virtutem dignam, qvæ & ametur, & ambiatur. Qvippe qvæ ſola, ut propinqva DEO & familiaris, ita ad eum nos adducere poteſt. Witteb. ad d. XXVIII. Januarii, Anno cIↄIↄc XL. qvem tibi, & nobiliſſimæ familiæ tuæ ut ire felicem ac proſperum Deus concedat, etiam atqve etiam precor.

LXX.

Conrado Davidi Büchero, S. P.

SI cum moroſo tibi homine & arrogante res eſſet, qvi vicem ſervorum amicos habeat,

qv

qvibus ex regula atqve præſcripto agendæ partes, ſanè opus erat, uti te hac excuſatione, *mi præſtantiſſime Buchnere* Nunc cùm hi mores nulli, ut opinor, in nobis, ab iis certe ne inqvinaretur animus, ſedulo ſemper operam dederim; enimverò hâc oratione ſuperſedere poteras, qva de neſciô qva officii parte petendam veniam exiſtimares. Gratum tamen eſt, nos abs te tanti fieri, ut cum nihil deliqveris, ſic tamen, qvaſi deliqveris, conciliandum tibi putes, cui non ſatis probaſſe ſtudium tuum videbare, ne alienes. De Illuſtriſſima Marchioniſſa qvæ ſcribis, næ illa perqvam grata acceptaqve fuerunt: & illud de Friderico conſilium veſtrũ ejusmodi eſt, ut omnibus modis tenendũ cenſeam. Tota deliberatio tua veriſſima rectiſſimaqve eſt: nec qvicqvam habeo, qvod addam, niſi hoc unum, Naſſovienſem Comitem Reformatorum, qvos vocant, ritus ſeqvi, & eam religionem in ditionibus ejus publicè doceri. Qvod ideò ſcribo, non qvod utendum minime cenſeam voluntate Illuſtriſſimæ Principis; ſed ut interim probè Friderici noſtri animus muniatur contrà, ne qvid timeri inde jure qveat. Nôſti qvid perſvaſiones blandæ, qvid præmiorem oſtentatio poſſit, qvam facilis cereaqve juventus ſit, & tuta nunqvam ſatis contra eorum machinas, qvi ejus ſimplicitate abutuntur libenter. In nuptialibus qvidem tabulis ſcriptam & hanc conditionem memini, ut ſumtu Comitis Illuſtriſſima Princeps conjux miniſtrum verbi habeat ſuæ religionis; ſed illam nondum impletam

tam arbitror: & eſt haud diu, qvod ipſa Marchioniſſa de ea re coram me qvereretur, non obſcurè ſubarguens remiſſum ſororis animum, qvæ nihil urgeret. Qvò magis cavendum, ne in qvem ſcopulium incitemus navem, & danda opera potiùs, eam adverſus hos caſus obmuniamus probe. Cum fidei orthodoxæ regula, & morum virtutumqve præcepta repetenda aſſiduè ſunt, & qvantum fieri poteſt, inculcanda. Neſcio, an aureolus Galatei liber *de moribus*, ex Italico â Chytræo verſus, ad manum vobis ſit; cui adjuncta eſt utiliſſima diſſertatio de inferiorum officio adverſus Principes. Hunc totum vel ediſcendum ipſi putem. Neqve enim magnus eſt: ſi in promtu non eſt, exiguo ære poteſt parari. Legi utiliter & Gvazii *de converſatione civili* libri poſſunt: & *Aulicus* Concii, qvem in Daniele depinxit egregie atqve deſcripſit. Hos & alios ejusmodi libros & nunc evolvat, & pòſt deinceps verſet ſubinde, modumqve ac rationem vivendi agendiqve inde petat, ne vulgus ſit, & imperitioribus oſtendat, qvanti ſit, bonas literas non ignorare. Sed qvid, ſi & pro Rudolpho noſtro aliqvid machinæ optimæ Principi admoveamus? Nôſti inter honoratiores ipſam miniſtros & Wüſtenhofium juniorem, qvi nunc in noſtra militia optionis partes curat, habuiſſe & menſam ei juxta præbuiſſe ac domum: neſcio, num præter iſta & partem annui ſumtûs. Hæc omnia tamen eo fine, ut vel deduceret progreſſam foràs vel domi in menſa carperet cibos: reliqvum tempus ſtu-

diis & bonis literis apud nos daret, qvibus ſapientiſſima Princeps plurimum defert. Hunc locum ſi nunc Rudolpho impetrare liceat, qvidni optimè conſultum ejus ſtudiis exiſtimemus? Et fieri poſſe cenſeam, ſi cætera remittamus tempori, & unicè ejus beneficio utamur, qvod in exhibitione cibi annui poſitum eſt. Sanè hac ratione ſimul & Academiæ civem redonaret noſtræ, frueretur qve iis rebus, qvibus ægerrime hactenùs caruit, & aulæ aſſveſceret moribus, adeoqve Principibus diſceret uti, qvod proprium illorum eſſe debet, qvi tali loco prognati ſunt. Ac ſi hoc impetrari votum nobis qveat, & Juſtum ipſum in Academiam mitti poſſe exiſtimem. Nam cum is ſolus reliqvus ſit, cui redimenda menſa veniat, facilius, qvibus id fiat, ſumtuum ratio iniri qveat. Hoc ut cogitanti in mentem venit, ita perſcribo ad te, *mi præſtantiſſime Büchere*, tu cogitabis atqve perpendes negotium; &, ſi videbitur, cum generoſa Domina Matre, qvam honorifice meis verbis ſalutabis, imò cum ipſo Rudolphô ſuper eo conſules. Ut ſi potiores rationes ſe dent, qvibus proſpiciatur ejus ſtudiis, hæ ineantur; ſin iſta placeat, id diſpiciamus, qvo explicetur, ut exitum habeamus. Qvam ad rem plurimum & nobis D. Hülſemanni & Hanovii ductoris opera conducet. Sed de hoc poſteà videndum erit. Nunc de re ipſa eſt conſultandum. Tuo nomine, *mi optime Büchere*, ad generoſam Brandiam de hâc ipſa occaſione dediſſem literas, ſi tempus & otium non defeciſſent. Vides lituras & dehoneſta-

menta

menta aliâ ſcriptionis in iſtis literis: qvæ nihil aliud qvàm properantiam & feſtinationem nimiam arguunt hominis juſtis ſpatiis excluſi, qvod tu ignoſces. Sed prima qvaqve occaſione tui ero memor. Ita plane tene, meqve ama, & optime vale. Wittenb. ad d. XXVIII. Januarii Anno CIↃ IↃCXL.

Si placet conſilium de Rudolpho, auctor ei fuerim, ut nuptias ſororis cum Hanovio aliqvo Germanico carmine celebret. Qvæ res eum Principi plurimum commendabit. Maximè verò ſi laudes ejus artificioſâ ratione alicubi attingat.

LXXI.

Rudolpho à Brandt S. P.

VIdeo antiqvum tuum te obtinere, *Rudolphe nobiliſſime*, hoc eſt, impenſe, imò, ni fallor, impotenter me amare. Id enim ut ſuperiores literæ tuæ cumprimis; ſic noviſſimæ copioſiſſime atteſtantur. Etſi verò mihi tantum non tribuo, ut mereri me tantum ſtudium & propenſiſſimum in me affectum tuum arbiter: jucundum tamen eſt, qvod iſtud ipſum non niſi in optime natas indoles & excellentiſſima ingenia cadere ſoleat. Qvæ, ut invidere aliis malignum ſtatuunt, ſic qvoſvis amare ad ſe cumprimis pertinere exiſtimant. Germanicum tuum Progymnaſma valde me cepit. Ut generoſa inventio eſt, ſic dictio ipſa nobilis ſplendidaq; & qvæ nihil putidi aut affectati habet. Qvod illis ſolet ac-

cidere, qvi Gallicanos cothurnos plus æqvo ſolent admirari,& ita frigidi fieri plerumqve. Perge,perge ita! *mi Rudolphe*, & modò Latinum aliqvid terſum,elegans, grave,doctum; modò Germanicum iſti ſimile elabora ſtylo, &, ſi id placet,permitte ad me. Itaqve tibi perſvade, hoc exercitationum genus, & mihi voluptatis plurimum,& tibi emolumentum ingens & fructus largiſſimos allaturum. Vale, delicium noſtrum,*mi Rudolphe*,& ſtrenue rem tibi gere & Muſis: non illis theatralibus, qvas genii tui præſtantia merito averſatur jam olim, ſed qvas *contubernales ſapientiæ* Syneſius olim pronunciavit. Witteb. ad d. XVIII. Febr. Anno CIↃ IↃC XL.

LXXII.

EIDEM.

QVòd te tàm diligenter de ſilentio tuo purgares, cauſa non erat. Si otium ad ſcribendum non eſt,nec habeas,cui recte tradere literas poſſis,ineptum non modò,ſed & injuſtum fuerit, ſcriptionem & literas poſtulare. Amicitiæ hoc officium eſt,qvod ita exigere minime oportet, ut in ſervitii genus id commutetur. Scribis itaqve, *Rudolphe amantiſſime*, ad me,qvoties impetus fert,idqve nulli incommodo eſt: aut cùm neceſſitas poſtulat; & qvi perferat,non etiam deſit. Si aliter comparata res eſt,ſilere optimo jure fas erit & veniâ: eâ tamen lege,ut idem nobis concedas. Enimverò & nos tardiores ſumus in reſcribendo, non alia de

cau-

cauſâ, qvàm qvod otium non erat. Declamatiunculam tuam legi, probavi. Qvippe qvæ & argumentum præclarum habet, & eleganter præterea ſcripta eſt. Poterat qvidem res paulò fuſiùs uberiusqve tractari; ſed tu Geographorum morem imitari voluiſti, qvi vaſtas qvaslibet terras brevioribus lineis deſcribere ſolent. Ego verò tibi auctor fuerim, ut ſi qvando deinceps te in iſthoc genere meditationum exercere volueris, (voles autem, atqve id ſæpius qvidem) ut poſtqvam de argumento certus ſis, rationes, qvibus & confirmari, aut infirmari, rurſus ad eas qvid reſponderi poſſit, videas. Cum argumenta ad manum ſunt, tum tibi diſpiciendum erit, qvomodò ſingula explicari probariqve, atqve amplificari etiam qveant. Qvæ omnia in charta delineare & conſignare poteris, ſimulqve videre, qvo invicem ordine excipere ſe qvàm commodiſſimè qveant. His conſtitutis, ſtylo & cultu oratorio proſeqvenda omnia ſunt, & velut in corpus qvoddam compingenda: dandaqve opera, ut ſuo qvodqve in loco non tantùm ſe pulchrè ac nitidè habeat, verùm etiam omnia invicem benè reſpondeant concinnentqve. Audio generoſam matrem tuam non bellè ſatis valere. Fuit ea res non levi dolori, ſed ſpero tamen in gratiam cum valetudine rediiſſe. Qvam diutiſſimè veſtra cauſa ſuperſtitem ſeriò ego voveo & opto. Locuta nonnihil mecum de Arnimbio eſt, ſummo duce, & incomparabili viro. Et qvamvis videatur expeditionem moliri, cum

tot duces præſectiqve adveniant, conveniant, abeant; & ipſe qvoqve tale aliqvid, qvanqvam perplexis ſermonibus ferre præ ſe videatur, nihil tamen de conqvirendis miniſteriis, & adornando comitatu ſatagit. Nec libuit mihi hujus rei qvicqvam ſatis liqvidè expiſcari. Dn. Rochau aliqvot dies hic fuit. Per eum poſſet fortaſſe id, qvod volebat Dn. Mater, explorari. Qvid ſi & aliqvæ partes Dn. Hanovio committantur; qvi flumen transducet eqvites ſuos, & dubio omni procul & vos inviſet, ſalutabitqve, & Dn. Arnimbium officii cauſa conveniet? Si qvid interim cognoſcere licebit, ad id negotium qvod faciat, qvamprimùm poterit fieri, ſignificabo. Te ampleƈti geſtio, *mi Rudolphe*. Qvare qvandocunqve huc veneris, confeſtim ad meas tibi contendendum ædes erit, & in amicum tibi hoſpitium divertendum. Vale R. & ſalve cum univerſa familia tua nobiliſſima, Dominoqve Büchero. Raptim ad d. XVII. Apr. Anno clɔ Iɔc XL.

LXXIII.

N. N.

Clariſſime & Excellentiſſime Vir, Domine & Amice plurimum colende ac obſervande.

Diſceſſurus in Academiam veſtram ex noſtra præſtantiſſimus juvenis S. Qvæſtoris noſtri filius, petiit à me, ut tibi ſe vellem commendare. Enimverò cùm minimè ignoraret, qvâ eſſes auctoritate apud omnes, qvam tibi ingenii, eruditionis, doƈtrinæ & humanitatis laudem com-

comparaveris, id dandam præcipuè ſibi operam ſtatuit, ut benevolentiam tuam ſibi conciliaret, ratus, non poſſe non ſibi patere aditum ad cæteros, qvos Academia atqve urbs veſtra egregios ſummosqve viros habet, ſimul abs te probatus eſſet. Neqve enim qvemqvam ibi alicujus numeri nominisqve eſſe, qvi non & magnificet te, & plurimùm amet. Facile dedi hanc veniam homini, cujus pater non modò amiciſſimus eſſet nobis, ſed & qvi ipſemet mihi ob cultum ingenii, & elegantiam morum, jam olim amatus & charus. Philoſophicis diſciplinis, qvantum ſatis, inſtructus eſt. Latini ſermonis copiam ex optimis auctoribus, & crebra exercitatione ſtyli, meis auſpiciis maximè, eam paravit ſibi, ut utraqve oratione ex æqvo polleat, & proſa juxta & carmine placere poſſit. Ingreſſus & Juris ſtudium eſt, atqve in eo qvoqve egregios fecit progreſſus. Qvos ut ad uberiorem perfectioremqve rationem adduceret, in veſtram Academiam miſſus eſt; eoqve nomine tùm cæteris Dominis JCtis, tum Domino Lindnero præcipuè innoteſcere cupit. Qvare abs te officioſiſſimè contendo ac peto, ut tot optimis rebus ornatiſſimum juvenem & mihi valdè amatum, qvô potes benevolentiæ genere complectaris, ejusqve honeſtiſſimos conatus, qvantum in te eſt, adjuves. Qvâ in re non modò de optimo juvene mereberis pulchre, ſed & me qvoqve magis magisqve obſtringes tibi atqve devincies. Vale, excellentiſſime vir, & me vel in S. etiam ama. Wittebergæ ad d. XII. Jun. A. cIↄ Iↄcxl.

LXXIV.

Conrado Davidi Büchero S. P.

BReviſſimè tantùm per ſumma capita reſpondenti facilè, ſpero, ignoſces, *mi praſtantiſſime Büchere*, ſi ſcieris, tertio die poſt Dreſdam mihi proficiſcendum, & interim varia eſſe, qvibus abſolvere me neceſſe habeam. Ac primo qvidem optimum erit, aut temetipſum appellare generoſam Dominam, aut eas partes, qvod magis ſvadeo, epiſtolæ demandare; ne, ſi qvid oneretur pudor compellantis, ea deinceps res damno atqve incommodo cedat. De pomis videbis, qvæ copia ad nos pervenire qveat. Interim dedi negotium uxori, ut pretium, qvantum indicabitur, perſolvat; qvæ interim de aliis coëmendis ſecura erit. Conzenii libros ſaltem inſpexi ſemel & iterùm; diligenter atqve cum cura haud legi. Placuit tamen opus, & utile lectu omninò exiſtimo. Sed vellem, antè vos Ariſtotelem cum Heinſiana paraphraſi lectitaſſe, qvæ præter Politices præcepta & caſtigatiſſimæ orationis ideam vobis exhibebit. Qvare ſi eſt ad manum, hanc vobis diligenter commendo. Nempe qvod Poëtis Homerus, id Philoſophis atqve Politicis inprimis Ariſtoteles. Nemo eorum aliqvid egregii in hoc genere præſtitit, qvi non de iſto fonte ſe ingurgitaverit probè ante. Galateum dono vobis. Proſodia redibit in tempore, cum nihil amplius commodi præſtare poterit, hoc eſt, qvando erit deſcripta.

ſcripta. Valete, & ſalvete omnes. Raptiſſime ad d. xxv. Auguſt. Anno cIɔ Iɔc XL.

LXXV.

Gottfrido Oleario, S.S.

Theol. Doct. S.P.

Admodum Reverende,

CUm tuas mihi ſuperiore menſe redderet lator, monui hominem, ne antè diſcederet, qvàm ea de re feciſſet me certiorem, qvod reſcribendum mihi ad eas eſſet. Nec defuit ille qvidem officio, ſed verò cum cogitaret ad vos, tum ego ægrotans acriter decumbebam; qvo factum, ut ſine meis ipſi abeundum eſſet. Cæterùm nunc explicitus morbo, Dei ope, reſpondeo qvidem: ſed neqve in tempore fortaſſis, nec ita, ut res exigebat. Nam cum & tempus & otium deficiat, aliqvid potius ſcribendum fuit & illinendum chartis, ne planè ſileremus; qvam iſtiusmodi afferre aliqvid licuit, qvod univerſum negotium qvàm accuratiſſimè explicaret. Ignoſces igitur nobis, *clariſſime Vir*, primo qvidem, ſi forte minus in tempore, deinde, ſi ita reſpondemus, ut plura deinceps declaranda maneant. Ac primo qvidem pueris rudibus à ſingularibus vocibus ac verbis latini ſermonis primordia petenda eſſe nemo, opinor, contraveniet. Ita enim & ipſi infantes addiſcunt loqvi. Id qvoqve aſſentiendum eſt, non male conſuluiſſe puerorum ſtudiis, qvi, cum viderent, ſingularium difficilem eſſe memoriam,

pleraqve omnia ſententiis brevibus complexi ſunt. Ita enim effecerunt non modo, ut retinerentur firmius; ſed & ut rectius intelligerentur. Sed utrum ad eam rem *Comenii* induſtria, an vero Patrum *Hibernorum* ſtudium conducat magis; de eo non immeritò controvertitur. Nam habet uterqve liber ut laudes, ita & culpas ſuas: & eſt difficile reperire, qvod omni omninò notâ vacare poſſit. Qvare non ita referre putaverim, ſive hoc, ſive altero velimus uti, modò Magiſter officium ſuum diligenter faciat, & qvæ diſcenda inde ſunt, tum vere explicet, tum probe inculcet. Satius enim eſt, ex præſenti copia aliqvem fructum capere, qvàm, dum meliora exſpectes, proficere nihil. Interim diſſimulandum non eſt, Hibernorum operam videri magis convenire pueris, qvo illa ſimplicior contractiorqve ſit; cum contra ea Comenii diffuſior & affectatior inveniatur. Qvare in illa acqvieſcam magis. Nam ſi qva ibi deſiderentur fortè, ea omnia ex colloqviorum libellis & ipſa auctorum lectione ſupplere licet. Satis enim eſt in illa ætate neceſſaria maxime & qvotidiana non ignorare. Porro alia *ſermonis*, alia *ſcriptionis* ratio eſt: cumqve in ſcriptione ipſa qvoq; id ante omnia danda ſit opera, ut purè, perſpicuè, terſè negotium, qvàm cultè atqve ornatè ut explices; primò omnium ii adhibendi auctores ſunt, qvi vel ſcripſerunt ſermones, vel ad qvotidiani ſermonis indolem ſcripta ſua cum maximè temperarunt, ab exqviſitioribus illis, & Oratorum propriis ornamentis abſtinentes. Qvare poſt ſelectiora *Eraſmi*

Vi-

Vivis, Sturmii, & aliorum hujus notæ colloqvia (qvæ probè & diligenter verſare puerum magno uſui erit) legendi imprimis comici ſunt atqve in iis *Terentius* maximè; qvi & pudoris ſtudioſior eſt, & recti ſermonis regulam cuſtodit magis: *Plautus* enim dum omni ex cauſa riſum captat, ſæpè obſcœnus fit, dicendiqve legem vel prudens corrumpit, ut multa, qvæ ibi legas, extra theatrum nullum omninò locum habeant: nonnulla autem & ibi qvoqve veniam exſpectent. Comicis ſubjungendi Ciceronis Dialogi, *de Officiis, de Amicitia, de Senectute*; aut illi etiam, qvi ad Oratoriam ſpectant. Ut ſimul & hauriantur virtutum & artium præcepta; & opes latini ſermonis locupletentur. Jam cum ad ipſas *Orationes* acceſſus faciendus eſt, ab illis auſpicari oportet, in qvibus lenius qvoddam ſedatiusqve orationis ſecutus eſt genus. Ut ſunt, *pro Archia; pro M. Marcello, pro Ligario, pro Rege Dejotaro &c.* Ex *Hiſtoricis* nemo aptior adoleſcentibus *Nepote* & *Caſare*: qvi proximè accedunt ad qvotidianum ſermonem, & phraſin Terentii paſſim repræſentant. Atqve *Hiſtorias* qvidem primæ ætati proponere optimum mihi videtur factum. Tum enim maximè valet memoria, qvâ opus cumprimis ad hiſtorias exemplaqve comprehendenda. Deinde omnes ducimur narrationibus. Jam in hiſtoriis major rerum varietas eſt, qvàm in ſcriptoribus aliis. Cumqve inter arma ac bellorum tumultus vivendum nobis jamdiu fuerit, ecqvid occurat magnopere,

qvod

qvod pueri noſtri hodiè non capiant, aut apud Nepotem, aut apud Cæſarem, qvi nihil propemodùm aliud, qvàm bella tractant & arma? Sed cum Nepote & Cæſare optimè & *Sulpitius* qvoqve *Severus* conjungatur, qvi ſacram hiſtoriam duobus libris expoſuit, tam eleganter ac terſè, ut eum Joſephus Scaliger, *Eccleſiaſticorum ſcriptorum puriſſimum*; alii *Chriſtianorum Saluſtium*, appellitarint. *De Valerio Maximo* ita ſentio, eſſe multò utiliſſimum, & valde neceſſarium ſcriptorem; ſed eum viris magis & qvibus jam confirmata ſtyli integritas eſt, qvam adoleſcentulis convenire, qvi nondum tenent dicendi regulam, & deteriora citiùs, qvàm ſana & recta imitantur. Eſt qvidem nihil æqvè ſalubre ac frugiferum, qvàm omnis generis exempla, qvibus vitam informes, nota habere & obſervata, & iſto nomine egregiè de omni ætate meritus Valerius eſt: refertq; plurima eum exſtare; ſed dictionem qvod attinet, fatendum eqvidem eſt, neqve terſè eum ubiqve ſatis, ſed affectatè ſæpius ac putidè loqvi, qvodqve Horatius ait, *nubes & inania captare.* Cæterùm multum intereſt, qvos primùm auctores fingendi ſtyli gratiâ legerit puer: & rectè vir diſertiſſimus in Epiſtolis ait: *Stultiſſimum credo ad imitandum non optima qvæqve proponere.* Qvare cauſa non eſt, cur Terentio, Cicerone, Cæſare, aliis, qvos nominavimus, ſepoſitis, Valerium admittamus maximè, bonum & utilem auctorem qvidem ad ſapiendum, non ad dicendum. Qvorum alterum in prima ætate

ad-

addiſcendum eſt, alterum à virilitate expectandum. Ad *Poëſin* neqve *Virgilius*, nec cæteri ſoli ſufficiunt. Nam prout ipſa diverſa eſt, ita ex diverſis qvoqve eſt cognoſcenda. Atqve Heroicam qvidem majeſtatem optimè monſtrabit *Virgilius*: Elegorum naturam *Naſo*; & Lyricorum carminum artificium *Horatius* docebit. Qvorum qvisqve ut in ſuo genere regnavit, atqve excelluit maximè; ita imprimis in eo imitandus eſt, & pro lege & norma eſſe debet. Habes, *clariſſime Vir*, qvæ in hac feſtinatione in mentem nobis veniebant, ſuper iis, de qvibus qværere libuit. Tuum erit, benè conſulere, itaqve interpretari, ut qvi hæc illeverimus chartis, non te docendi gratiâ, ſed ut gratificaremur voluntati tuæ. Vale, & me ama. Wittenb. ad d. XIX. Septembr. Anno CIↃ IↃC XL.

LXXVI.

Generoſo ac Nobiliſſimo VIRO

HENRICO à FRISEN

S. P.

CUm ad poſteriores meas nihil abs te, *GENEROSE HENRICE*, acciperem reſponſi; atqve ad eas imprimis, qvas ipſa media æſtate dederam, cum ad eminentiſſ. Dn. Præſidem & te inſcriptos vobis Plautinos mitterem codices, qvos Dreſdam ad amicum deſtinaveram, ut prima qvaqve occaſione ad vos curarentur; idqve ad multitudinem juxtà & magnitudinem negotiorum, qvibus diſtinerere

in

in præſenti interpretarer; non faciendum mihi putavi, ut intempeſtivis literis, arduis tuis occupationibus obſtreperem, & qvæ patriæ debebantur, tempora ſubducerem improbè & velut per ſacrilegii genus mihi vindicare conarer. Nunc cùm tam comiter ac tam prolixâ humanitate me ad officium voces & partes veteres; ac licet tot circumſeſſus ac benè obrutus curis ſis qvaſi in otio poſitus te noſtras deſiderare ſignificet; fœdiſſimi juxtà & immaniſſimi flagitii fierem reus, ſi parum morigerus voluntati tuæ, tacere diutiùs perſeverarem. Sed ad Plautinos Codices ut redeam, peſſime ſane me decepit ſpes, qvam de amico, cui mittendi ad vos negotium dederam, habebam conceptam. Nam dum ſuperiore menſe ineunte Dreſdam venio, ut qverelarum interpretem agerem, qvas de ſupremis ſuis neceſſitatibus Academia noſtra ad congregatos per comitia ſtatus perferendas haberet, ecce, præter opinionem meam invenio, hos hactenus qvidem hæſiſſe Dreſdæ, qvos dudum à te verſari eram perſvaſus; & qvoniam nulla ſe talis tuliſſet occaſio, qvâ mitti commodè & ſine magnis ſumtibus potuiſſent, nunc deportatos eſſe Lipſiam, ut nundinarum commoditate uſi, tandem ad vos, licet ſerius, deferrentur. Qvod me qvàm male habuerit, dici non poteſt. Et tamen cùm haud liceret mutare, id omne ſane concoqvendum fuit. Qvæ ideò ſcribo, cùm ut intelligas ſilentii mei cauſas; tum ne mireris, cur tanto pòſt tempore veniant meæ; & unà cum illis Plautini codices,

qvæ

qvæ ipſa adoleſcente æſtate perſcriptæ à me datæqve eſſent. Sed ad pecuniarium negotium, qvod attinet,totam illius fabulæ ſcenam jam ante Dn.D.Hoius & literisprius, & nuper familiari etiam ſermone, cùm officii cauſa ſalutarem, nobis explicuit.Videturqve res neſcio qvid fatale occulere,cum in hoc ipſo nomine jam alterâ vice, qvæ jam perfecta me mihi tenere vota exiſtimabam,eliſa ſubverſaqve jaceant. Qvod ſi eſt,neqve hoc potius caſu contigit, cedamus licet,libenterqve feramus fortunam, qvam fatum noſtrum nos voluit ferre; atqve exiſtimemus,hoc agereNumen ſupra nos,ut luculentioribus exemplis patientia noſtra & æqvanimitas elucefcat. Tibi verò, *GENEROSE HENRICE*, fidus noſtrum, & eminentiſſimo Dn. Præſidi qvas laudes gratiasqve dicam pro ſingulari illo ſtudio, qvo dubiis imò jacentibus noſtris rebus ſuccurrere ſtrenuè ac perbenignè ſtuduiſtis? Ita enim egiſtis partes, tam ſolicitè atqve fideliter noſtrum tractâſtis negotium, ut qvamvis conatus veſtros egregios, measqve ſpes penitus eventusmelior deſtituerit, multum me tamen debere vobis, atqve ſic qvaſi ingenti aliqvo beneficio obſtrictum & obligatum eſſe à vobis,teneriqve arctè, ultrò & promte fatear. Nec unqvam planè videbor mihi infelix, ut maxime videar,& ſim qvoqve,qvam diu me veſtri favoris gratiæqve ac benevolentiæ ſpes haud derelinqvet. Naudæi libellus cum acceſſionibus certis jam abſolutus pene typis eſt. Neqve enim præter præfationem ac titulum qvicqvam

am-

amplius reſtat. Ac licet ſedeat animo à tui conſilii auctoritate nihil diſcedere, & illuſtriſſimo principi MAURITIO totum opuſculum dedicare. tamen non video, cuinam hominum, te, *NOBILISSIME FRISI*, abſente, tradendi exhibendiqve provincia commode ſatis demandari qveat. Qvare abs te officioſe ac vehementer peto ac rogo, ut, hâc in re qvid faciendum ſit, commonefacere me qvamprimum velis, docereqve adeò, utrumne operiendus tuus reditus, ut ipſe Patronus & Commendator Opuſculo ſis, an deligendus qvisqvam alius, cui volenti fuerit, has in ſe partes ſuſcipere. Qvod ſi videbitur, monſtrandus ipſe, & deſignandus ibi eſt, ne qvid hic imperitia mea malè impingat. Vale decus ac ſidus noſtrum, *HENRICE*, & Generoſo Domino Præſidi, Collegæ tuo, me iterũ iterumq; commenda, Deus utriusq; veſtrûm res atq; conſilia gubernet, regat, provehat, & bono ſalutiqve Patriæ, qvem ſibi unicè finem propoſitum habent, cedere benigne clementerqve ſinat. Vale iterum animo juxtà ac corpore, meqve perge amare, qvi Dreſdæ hæc, in ipſis Comitiis, inter moleſtiſſimas curas atqve ſolicitudines, qvæ omnem mihi venuſtatem Muſarum, ut verbô veteri dicam, *expectorant*, præfeſtinô ſcribebam ad d. x. Oct. Anno

cIↃ IↃC XL.

LXXVII.

LXXVII.

D. Matt. Hoë ab Hoënegg.

Reverendiſſime Præſul, Domine atqve Patrone ſumme.

DUm profecturo navi domum neſcio qvod inimicum ſidus fœdiſſimam tempeſtatem conflat, qvâ factum tándem, ut ſexto demum, ex qvo conſcenderam, die, meos complecterer; inauſpicatus alius turbo nobiliſſimos filios tuos exagitavit. De qvo, qvum intelligerem primùm, dici non poteſt, qvam id confuderit me ac perturbarit. Solet enim id venire, ut nuntiorum novitate ingrata percuſſus animus, in nulla omninò ratione acqvieſcat. Nec conſederunt antè hi fluctus, qvam N. tuus, deliciæ meæ, hanc totam ſcenam ordine recenſuiſſet. Dolui ſanè, prout debebam, fide optimâ, tùm illud ipſum, qvod evenire maximè nollem; tùm humanarum mentium ſtatum, qvæ ita comparatæ ſunt, ut nunqvã non appareat - - - aſſidere perpetuò naturæ noſtræ, & omnem ætatem cuidam errandi neceſſitati eſſe expoſitam, qvam vereri atqve metuere multo facilius eſt, qvam planè effugere ac vitare. Sed illud acerbum maximè accidit, qvod inde nata eſt cauſa, qvæ jucundiſſimâ exoptatiſſimaqve conſvetudine tui, *reverendiſſime Præſul*, N. cujus amor mihi in horas creſcit, me præter opinionem privaret. Neqve profectò par huic eſſem dolori ac curæ; niſi me ſolaretur ac ſuſtineret ſpes, futurum brevi, ut elegantiſſima anima cum fratre nobiliſſimo

cupidiſſimis noſtris amplexibus redderetur. Interea mei officii duxi eſſe, perſeqvi abeuntem literis, & qvem non poſſem corpore, affectu ſaltem comitari. Qvare, *reverendiſſime Præſul*, cum tibi hoc, qvicqvid ſcripturæ ſubitaneæ eſt, exhibebit tuus, finge, qvæſo, eum à Buchnero ipſo ad oſculandum parentis piiſſimi manum adduci, ac tradi tibi pignus ejusmodi, qvod fœcundiſſimam ſpem & gratulationis multiplicis & ſelectiſſimæ voluptatis præbebit olim. Atqve profectò dignus es, *Patrone ſumme*, qvi, qvod unice voveo, nihil unqvam de tuis niſi lætum & proſperum audias, atqve per totam domum adeo pia feſtaqve gaudia perpetuo exultent: cui incrementum inſigne, & tantis dignum carminibus ex nobiliſſimæ filiæ nuptiis, qvas nunc adornas, uti accedat propediem, novisqve ſe auctibus recentet usqve atqve amplificet, votis omnibus precor ac oro. Deus te, *reverendiſſime Præſul*, cum tota nobiliſſima familia felicem perpetuò florentemqve, tùm (niſi id fortè improbiuſculum petere) mei amantem ſervet. Witteb. ad d. XXVIII. Octobr. Anno CIↃ IↃC XL.

LXXVIII.

Conrado Davidi Büchero S. P.

Nihil qvicqvam eorum, qvæ exhibuimus tibi, tantum fuit, ut majus eſſet, qvam aut virtuti aut officiis tuis deberetur. Qvare cauſa

ſa non erat,cur aut prædicares tantoperè, aut gratias ageres. Delectat tamen hæc pietas tua affectusqve in me. Ac qvamvis ideo benefaciendum non eſt,ut laudem conſeqvaris: tamen ſi beneficia extra eam non ſunt, jucundiora efficiuntur. Juſtum noſtrum lætor literularum amorem retinere, & rectè uti doctore tali, qvô melior ipſi contingere haud poteſt: & te præſenti conditioni placide acqvieſcere,hoc eſt,Deum ſeqvi: qvi ſanè aderit, & vobis viam aperiet ad meliorem fortunam. Interim plurima ſalute alumnum tuum noſtro nomine impertire. Puer, qvi exhibebat tuas, repetiit & pallium,qvod reliqviſſes nuper. Qvod factum cùm recordari non poſſem, Rudolphum noſtrum ut appellaret,monui. Qvi cùm abiiſſet,uxorcula monuit in tempore,aſſervari pallium in arca, qvod pertineret ad te, relictum à te in Muſeo,cùm ſuperioribus annis Wiſenburgum diſcederetis Qvare illicò dedi negotium,ut promeret,& ad nobiliſſimas virgines veſtras deferendum curaret, qvod pôſt ad te deferretur. Subiit enim cogitare,id ipſum te voluiſſe, qvamvis nullam mentionem feciſſes in literis. Vale & me ama. Raptiſſime ad d. XXV. Sept. Anno CIↃ IↃC XLI.

LXXIX.

Generoſo ac ſummo VIRO,

HENRICO à FRISEN

S. P.

R*udolphus à Brand, Nobiliſſime HENRICE,* amari cupit à te; nec indignus, ut puto, vel

eô ipſô, qvia cupit. Cupit autem, qvia impenſe amat te, & incomparabiles tuas virtutes magnifacit, ut par eſt, ex qvo deprædicari audiit ex me homo de complexu noſtro; & earundem imaginem in fratre CAROLO, qvem contubernalem annis ſuperioribus habuit, contemplari cœpit. Ingens in eo nobilitas generis; major ingenii, qvod optimis artibus literisqve, & laudabiliter tinxit. Qvanqvàm & Jurisprudentiæ attendit hactenus, non qvæ litigia alit, & relinqvenda rabulis eſt; ſed tribunalia qvæ moderatur, & id ſolicita eſt, non ut evertat fortunis miſeros, ſed ſuum cuiqve aut tueatur, aut reddat. Non poteris non complecti juvenem tot acuentem eò te & incitantem cauſis. Qvibus pro complemento accedunt mores modeſti, decori, & qvi virilem gravitatem æmulari videantur. Hunc itaqve appetentiſſimum tui hominem complectere, qvæſo, & apprehende: neqve hoc tantùm; ſed generoſo Domino Patri etiam commenda, ut veſtrô auxiliô ac ope, ſi licet, neceſſitates, in qvas conjectus culpâ temporum, evadat ac ſuperet. Natus qvidem ille in magno patrimonio eſt, fundos, agros, ſylvas non parvi modi poſſidet; ſed qvæ afflixit adeò procella communis, ut ſuppeditare amplius in ſtudia ſumtus haud qveant. Bonâ fide doleo, rectam & vividam indolem, & natam magnis, ita jactari ac premi. Cui ſi tàm aſpiret fortuna ac ſublevet, qvàm ſurgit ipſa attollitqve ſe, atqve in ſumma & præſtantiſſima nititur, qvod ornamentum Eqveſtris

No-

Nobilitas poterat, qvod decus ſibi atqve præſidium patria ipſa expectare? De qvibus mutuendum valdè eſt, ne intercipiantur, ſi qvod minatur fati atrocitas, non tantùm ab academia, ſed ſtudiis ipſis diduci contingat. Age itaqve, *nobiliſſime HENRICE*, expedi arma, & periclitanti matura ſuppetias, qvi fatigatus & laſſus durare adverſus fortunam ſuam ampliùs haud poteſt. Enimvero non parum tibi, non parùm *eminentiſſimo Parenti* tuo debebimus, aſſertâ hâc tantâ indole. Qvam demereri & obligare tantum promittere laudis poterit, qvantum emolumenti ac fructus in publicum res ipſa poteſt. Vale. Wittenbergæ, ad d. XXI. Maji Anno cIↃIↃc XLII.

LXXX.

Generoſo atqve Magnifico VIRO

HENRICO à FRISEN S. P.

NOBILISSIME DOMINE,

ÆGrè qvidem eſt, differri te complectendi noſtram ſpem, ſed ingredi tamen iter non licet, anteqvam Dn. D. Janus ex Sereniſſimæ Heroinæ reverſus exeqviis fuerit, & hinc in Danias diſceſſum fecerit. Spero autem, niſi qvid nobis humanitùs accidat, circa feſtum Johannis, aut paulò pòſt certò me tibi affuturum eſſe. De *Epicteto Salmaſii* qvantũ tibi, *nobiliſſime HENRICE*, debeo? Qvæ diligentia in commentationibus iis? Qvæ admirabilis variaq; & univerſum

 orbem

orbem doctrinarum qvæ nobis exhauriat, eruditio ibidem apparet? Sed qvod in cæteris, qvæ edidit hactenus, illud hic qvoqve licet notare, ut nusqvam non obliqvus adverſus Heinſium ſit, nec facile ejus reprehendendi occaſionem prætermittat. Qvamvis autem majoris gloriæ ſit dolorem animi vincere, & usqveqvaqve dare operam, ne, qvod præclarè monent Stoici, atqve in iis Epictetus paſſim inculcat, *aſſenſum nobis viſa extorqveant*; utqve res omnes non tàm opinione de iis, qvàm ex natura ſua metiamur; danda tamen venia viro maximo hôc qvidem benignius, qvod juſto dolore inſtinctus atqve accenſus animus ſibi vindicias qværit. Namqve ſi vera ſunt, qvæ perſcripſerunt ex Belgio nonnulli, non optimis ſanè artibus Heinſius exiſtimationem Salmaſii ac famam aggreſſus eſt. Qvæ cum recogito mecum, maximum inde documentum capio imbecillitatis humanæ, qvamqve ex vero Poëta dixerit, *ſuos manes qvemlibet pati.* Sed dum de Salmaſio agimus, non poſſum non tecum communicare egregium ſanè ac luculentum ad viri ſummi effigiem, qvâ me non ita pridem amicus donavit, Epigramma Barlæi. Id ita ſeſe habet:

Gallia qvo nuper, jam ſidere Leida ſuperbit;
Prælucet magnis artibus iſta Pharos,
Hæc ſunt perſpecui. Lector, compendia mundi;
Fronte ſub hac Pallas prodigioſa latet.
Partimur doctrinam alii; hic ſe tota recondit,
Immenſosqve habitat mens ſpatioſa lares.

Scri-

Scribite Scriptores, cui pagina ſcripta Solini eſt;
Judice me, ſcripti circulus orbis erit.

Nihil ſplendidius, nihil ſublimius aut efficacius, addo nec verius dici poterat. Itaqve cum multùm lectione ejus delectatus eſſem, nolui te hujus voluptatis eſſe immunem, qvam eo majorem capies, qvo viri gloriæ & portentoſæ eruditioni candidius ſinceriusqve favere ſoles. Si poteris dare hanc nobis veniam, Epictetus ejus manebit apud me, donec ipſemet afferam & reddam. Vale Wittenbergæ, ad d. 11. Junii. Anno cIↃIↃc XLII. ſatis feſtinò.

P S. *Salmaſianarum in Epictetum Commentationum volumen minimè integrum habere te, non fraude bibliopolæ factum eſt; ſed per auctorem ipſum; qvi tractatum de anima, jam profecturus in Galliam, ibi, qvà deſinit, abrupit, abſoluturus qvæ reſtant, & editurus factô reditu, ut in præfatione ad Stoicæ Philoſophiæ Studioſos pollicetur.*

LXXXI.

Generoſo, Magnificoqve ac ſummo
VIRO

HENRICO à FRISEN
S. P.

NUdius tertius Dn D. Janus ſecundô flumine vectus navi huc venit. Heri cum aſportaſſet res ſuas, qvas mihi crediderat, & valedixiſſet amiculis, conſcendit denuo, Tychopolinqve diſceſſit. Qvare adornando Drœſdenſi itinere nunc totus ſum, poſt dies non

ita multos profecturus, ut te, qvam primùm potero,complectar. Qvem nuper petebas, uti ſuſciperem cognatum tuum, qvi hûc mittendus brevi eſſet ſtudiorum cauſâ, diebus ſingulis expecto. Neqve enim non dare abundè locum petitioni tuæ debui; cui nihil negare unqvam poſſim,qvod mihi in manu foret præſtare: & ipſe adoleſcens, ut mihi affirmant, qvi cum eo vixerunt Geræ, eodem contuberniô uſi, eô ingeniô ſit, ut nihil ſtudioſius eô, nihil modeſtius rectiusqve inveniri temerè qveat. Qvi tanto majori mihi curæ erit, qvo magis me cupio & tibi,*GeneroſeDomine*,& toti illuſtri familiæ veſtræ probatum. Non ita pridem eſt, qvod exemplar*Notarum*, qvas ad*CaſſandriConſultationem* ſummus ſeculi vir, Hugo Grotius, conſcriptas dedit, exaratum manu amicus qvidam ad me permiſit. De qvibus nunc nihil; cum meliorem de iis agendi locum ipſe adventus noſter dabit. Vale,*Nobiliſſime Domine*, & me amare ne deſine. Raptim,ad d. xv. Jul. A. cIɔ Iɔc XLII.

LXXXII.

Generoſo magnificoqve ac ſummo VIRO,

Henrico à Friſen, S. P.

NobiliſſimeDomine,

HEſternâ veſperâ hûc veni. Hodiè cùm ſciſcitarer,ecqvid vacare ſalutaturo officii cauſa poſſes, comperior, in ſeceſſu te agere has aliqvot ſeptimanas. Tibi qvidem, PATRONE, etiam atqve etiam gratulor ſanctiſſimum iſtud

iſtud & nunqvam nonMuſis amicum otium:ſed meam vicem ſerio doleo, cogitans mecum, in qvàm grave principium inciderit itineris mei conatus. Enimverò labaſcit nunc omnis machinarum noſtrarum moles: nec explicare ſe valet confuſa turbataqve hôc nuncio conſilii ratio, niſi tranqvilles hunc æſtum nobis, & motam mentem in ſede ſuâ reponas atqve ſtabilias. Cupiebam qvidem impetu primo redimere eqvum illicò, & rectà pervolare ad te: ſed deprehendens poſtea audaciam & temeritatem hujus conſilii,nihil contra auſpicia tua ſuſcipiendum paulò conſultiùs decrevi. Age itaqve,*NobiliſſimeVir*,qvidq; ſit faciendum Clienti tuo,qvæſo præcipe,capeſſituro promtè imperium tuum,ſive venire jubeas,ſeu me manere potiùs & præſtolari adventum tuum, præcipue, ſi poſt non ita multos dies expectandus. Vale. Dreſdæ,ad d. xxv.Jul.Anno cIↃ IↃc XLII.

LXXXIII.

Generoſo atqve Magnifico
VIRO
HENRICO à FRISEN
S. P.

NOBILISSIME DOMINE,

CUm Dreſdâ non ita pridem rediiſſem domum,inveni non pauca,tùm qvæ in re familiari ordinanda diſponendaqve, tùm qvæ in partibus muneris curanda adminiſtrandaqve mihi eſſent. Sic factum, ut, qvod debueram,

maturius dare ad te literas haud certè potuerim. Qvod ut ignoſcas, vehementer peto abs te atqve contendo. Sed primum in præſenti hoc ſcribo, me admodum lapſum memoria, cum, motâ Borboritæ mentione abs te, penes me eſſe illum librum, affirmarem tibi, miſſurumqve reciperem reverſum ad meos. Nam ſcripti genus, qvod deſignâram, non Borboritæ, ut vides, eſt, ſed Frontonis cujusdam Borboritæ ſimilis, hoc eſt, Grotiomaſtigis, ex qvo errandi cauſa eſt nata. Cui cum maximus vir eâdem Appendice reſpondeat, non præter rem factūrum putabam, ſi *Strigilem* ejus (ita enim præſcripſit librum) videndam nunc mitterem. Id enim ſatis fore arbitror: & exemplaris alterius copia in præſentia mihi haut potuit fieri. De Caſſandri *Conſultatione* reſpondent bibliopolæ, à ſenis ipſis annis ne unum qvidem vidiſſe exemplar. Meum itaqve mittere volui, uti haberes interim, qvô deſiderium tuum expleres. Qvam junxi Galliarum Regis Legati Epiſtolam ad Daniarum regem, legiſti forte jam antè. Qvod ſi non eſt, habe eam munuſculi locô, & boni conſule. Proximâ occaſione, & Orpheus noſter, qvem exſcriptoris moratur manus, Côthenſiaqve, ut ſum pollicitus, conſeqventur. Ea enim Urbanulus noſter in præſentia detrectabat, cauſatus mularem ſarcinam mannulo iſti imponendam non eſſe. De Grotio qvid ſcribat Nüslerus, ex ipſis literis ejus intelliges. Affirmant idem & aliorum ad me, & illud prætereà, paulò poſt, cùm tranſiiſſet ad

Pon-

Pontificios, plane humanis rebus exceſſiſſe. Ac neutrum eqvidem miror. Qvam arduum enim tranſire ad eos, qvibuscum communionem concordiamq; non habendã putes? Deinde ſi juvenes etiam & robuſtiſſimum qvemqve tolli videmus, qvantò faciliùs finietur, qvem ſexaginta anni jam confecerunt? Dolet tamen, ſi vera, qvæ nunciantur, fuerint, nos maximò ingenio ſeculi, totqve in eo immenſis bonis privatos eſſe. Neqve enim ſcio, qvi amplitudinem Grotiani ingenii ac divinitatem hodie excedat. Si qvid de Fratre Carolo habes, & grave non eſt atqve incommodo, benignus imperti. Item qvid de eventu negotii noſtri in aula ſperandum nobis. Sunt, qvi optima longè promittant. Qvod ante vix credam, qvam abs te confirmatus. Vale, *Patrone optime*, tibiqve me habe commendatum, & redde Patri. Vale iterum ex animi ſententia, & uberem conde vindemiam; ut ſit, & qvò penſare munera vetera, & elargiri nova qveas. Wittenb. ad d. xxi. Septembr. Anno cIɔ Iɔc XLII.

LXXXIV.

TESTIMONIUM.

ACADEMIÆ RECTOR

LECTORI BENEVOLO

cum debita & prolixa honoris delatione S. D.

IN cæteris malis, qvæ per armorum truculentiam ubertim ubiqve exundant in patriam, maximum omnium eſt, qvod tot præclara ingenia

genia aut penitus abſtrahuntur à ſtudiis, aut certe in arctum coguntur, ita ut non niſi obiter & perfunctorie illa tractare poſſint; itaqve plane in iis verſari neceſſe habeant, ut bibere canes de Nilo ſolent. Qvantum enim ad reipubl. felicitatem intereſt, florere latiſſimè artium optimarum ſtudia: tam ad perniciem ejus atq; interitũ interpretari oportet, ſi aut malignè tractentur, aut penitùs etiam aboleantur. Ac fati hoc genus uti exercet infinitos alios; ita & ornatiſſimum juvenem G. S. eo adegit, ut contra propoſitam voluntatem animi, Academicis noſtris Muſis valedicere haberet neceſſe. Qvod ſi diſcendi cupidiſſimum juvenem retinere in manu ac ope noſtra haud eſt, id reliqvum erit tamẽ, ut eum tibi, *benevole Lector*, tradamus ac commendemus, ſi invenire rationem poſſis qvâ periclitantia juvenis ſtudia contra fortunam liberali aſſeras manu, & caſum ultimum benignè defendas. Venit in Academiam noſtram biennio abhinc, hôc ipſô menſe, & auctoratus Academiæ, ita ſemper inſtituit vitam, ea ut honeſtatis regulæ & legibus noſtris congrueret. Finem qvem peteret ſtudiorum SS. Theologiam ſibi fixerat. Qvam neqve dignè, neqve dextrè ſatis tractari cùm intelligeret, qvi neqve Philoſophicis diſciplinis, nec literarũ elegantiâ eſſet inſtructus, ita diſpoſuit operas, ut & iſtarum ſibi pararet viaticum, & non negligeret, cujus potiſſimùm cauſa cætera diſcebat. Qvare non tantùm ſectatus Theologos eſt, eorumqve lectiones freqventer obiit, ſed aliorum qvoqve

Pro-

Profeſſorum, qvi vel humanitatem literarum, vel ipſam Philoſophiam profitentur, privatas juxta ac publicas ſcholas celebravit. Non rarò & diſputandi jecit aleam, privatim licet, ſemelqve atqve iterum exercitii cauſa ſuggeſtum ipſum conſcendit de ſacris rebus diſſerturus pro concione. Jam in omni vita modeſtiam & probitatem coluit: ſuperioribus honorem & reverentiam exhibens: adverſus æqvales comis atqve jucundus. Qvæ omnia cum boni cujusvis favore ſtudioqve digna ſint, age, *benevole Lector*, & qvantum potes, de juvene optimo benè ſtude mereri. Rempublicam ipſam ac patriam ſibi obligat, qvi fovet benigne atqve amplectitur, qvi patriæ ac publicæ rei navare utilem operam qveunt. Qvod de S. promittere licet, ſi ei porrigas manum, & præcedentia qvaſi ſtudia ejus propitius leves. Vale B. L. & à S. dignam gratiam cum obſervantia perpetua, & à nobis ſtudia atqve officia debita ſemper expecta. Benè vale. Perſcriptum ſignatumqve Wittenbergæ, ad d. IX. Januarii, Anno cIↃIↃc XLIII.

LXXXV.
Claudio Salmaſio

Eqviti, ac Chriſtianiſſimi Regis Conſiliario S. P.

Illuſtriſſime Heros, maximeqve Vir,

DAbis veniam, ſi audacius fortè Muſarum tuarum verenda irrumpo. Numen ipſum, qvod ſupra omnes, non proximas ſibi mentes tan-

tantùm aſpectu beat, aut ſolas potentiorum preces audit; ſed paganorum etiam deſideriis vacat, nec qvenqvam repellit, qvi puram & caſtam mentem affert. Sanè haud aliâ cauſâ acceſſum in præſenti molior, *Vir illuſtriſſime*, qvàm cultum ac pietatem meam ut probem tibi, qvem puer penè editis Florianis notis mirari cœpi, poſt deinceps in iſtud usqve ætatis religioſè ſemper, licet apud animum maximè, colui, ac veneratus ſum literarum ac omnis ſapientiæ humanæ principem unum ac optimum ducem. Cæterum ſicut parentes non ipſi tantum ad templa Deorum ac aras accedere, ſed trahere ſecum & parvos liberos eò ſolent, ut religione eadem ac ceremoniis imbuant, qvibus ipſi animos obligaverunt ſemel; ita ſimul & ipſe in conſpectum tuum prodeo reverenter ſanè, ut par eſt, & eò adduco mecum unà alumnum meæ diſciplinæ qvondam G. S. Qvem ſi non minùs benignè ac literas meas, hoc eſt, me ipſum admittere voles, & indulgere votis noſtris, uterqve cœlum tetigiſſe videbimur, aut regnum tenere. In eo certè profectionis ſuæ in Batavos maximum fructum ponet noſter, ſi oſculari tanti herois dextram licuerit: & mihi pro maxima gloria erit, abs te, *Salmaſi maxime*, non faſtidiri. Tuqve profectò non potes non amare, qvi bonam mentem amant, iisqve favere, qvi literarum ac veterum artium tuentur decus, ac contra ineptias ſeculi vindicare, qvorum tu longè princeps es, unicè ſe devoverunt, In qvibus & ſemper profeſſus hactenus ſum, &

adhuc

adhuc qvoqve nomen profiteor meum. Vale, *Illuſtriſſime Heros*, & literarum principatui, qvem tenes, qvàm diutiſſimè præes, poſteritatis etiam bono. Witteb. Id Martii. Anno IↃC IↃC XLIII.

LXXXVI.

Gerhardo Johanni Voſſio. S. P.

QVem te, *Virorum Clariſſime*, ob variæ ſtupendæqve doctrinæ genus & excellentiſſima merita, qvibus univerſum eruditū orbem & obſtrinxiſti jam dudum tibi, & magis magisqve qvotidiè obligas, non dicam amavi, (qvanqvam & iſtud veriſſimè poſſum dicere) ſed, qvod decebat, admiratus ſum hactenus, optimâ fide; nunc allòqvi & ſalutare qvoqve ſuſtineo, non tam fiduciâ mei cujuspiam meriti, qvàm tuæ naturæ inſigni bonitate fretus. Qvotusqvisqve enim ex Belgio, cui tu innotueris qvidem, ad nos revertitur, qvi inter cæteras ingentes virtutes facilitatem tuam incredibilem ſummamqve humanitatem non prædicet, qvantum poteſt, & plenis, qvod dicitur, buccis commendet? Qvanqvam id vix ab verecundia mea impetraſſem, absqve harum latore *Juvene præſtantiſſimo* G.S. ſi fuiſſet, qvi ſtudiorum cauſa profecturus in Belgium, tibi eorum feliciſſimo vindici, ac ſummo omnium literarum vati commendari imprimis vehementer cupiebat. Dabis itaqve veniam appellanti te fortè audacius, dum parùm conſideratè notorem ac pro-

proxenetam me commodo alteri, cui tali officiô opus ipſi apud te, aut noto parùm, aut planè ignoto: concedenti interim tamen mortalium nemini, cùm amore in te, tùm admiratione qvoqve ac cultu. Qvæ tamen, *Clariſſime Vir*, non publicæ comitatis, aut nata in blandientis ore, ſed verò de intimo pectore profecta verba, ſi æſtimaveris, ſtatues certè, qvod ipſa res eſt. S. autem, qvem trado, ſcias natum & locô honeſtiſſimô, & rectâ atq; egregiâ indole; tùm liberaliter educatum à ſuis, & diſciplinis ac literis optimis imbutum eſſe: iis præterea moribus, qvi non tàm laudari verbis meis, qvàm ipſô experimentô probari cupiunt, & facilè omnium animos movent. Cujus patre, Virô ampliſſimô, qvũ a multis annis amicô utar haud vulgari, non poſſum certè non diligere filium, imò amare: qvem eam ob cauſam qvoqve hoc amplecti arctius debeo, qvod me officioſè ſemper coluit, & inter alumnos noſtræ diſciplinæ, priusqvam attendere juri inciperet, imprimis ſe mihi approbavit. Qvare ſi admittendum non modo in ſermonem & conſvetudinem tuam, ex qvâ præclaros & infinitos ſibi promittit fructus, verùm conſiliô qvoqve ac ope, qvum opus, (qvod peregrinis non raró uſu venire poteſt) juvandum putaveris, non alias magis obſervantiam noſtram ac ſtudium, qvin amicitiam etiam, niſi hoc improbum votum putaveris, obſtringes tibi ac devincies. Vale, *Clariſſime Voſſi*, qvàm feliciſſimè ac diutiſſimè publico literarum

rum, cui tu natus es, bono! Witteb. Calend. Jun. Anno cIↃ IↃc xliii.

LXXXVII.

Nobili atqve Clariſſimo Viro

Marco Zuerio Boxhornio. S. P.

Ex eo tempore, qvum ſcriptis abs te editis, illuſtre ingenium tuum ac eruditio excellens innotuit ſemel, nec te amare vulgariter, & plurimi, MARCE, æſtimare cœpi, tùm gratulari etiam ſeculo, qvod illuſtraturus mirificè videbare. Sed ſcribendi libido tùm demum inceſſit, cùm eruditiſſimus vir M. Breverus ex Batavis hûc adveniſſet, & tum de divinis tuis dotibus paulò uberiùs prolixiusqve, tum, qvam non ſemel in familiari ſermone qvàm honorifice mentionem mei feciſſes, expoſuiſſet. Is minimè ſum, *Boxhorni Clariſſime*, qvi ſibi eximium aliqvid tribuat: ſed qvotusqvisqve tamen tàm humilis atqve abjecti animi eſt, qvem non delectet & capiat ſummorum virorum vocibus ſi non laudari, at commemorari, prædicariqve? Qvare ſi tacitus id prætermitterem, videri poteram aut oſcitator ſecurus, aut ſuperbus contemtor, qvod declinandum utrumqve erat. Cæterum nunc & minùs ſilendum duxi, qvũ ſe offerret S. noſter, occaſionẽ mittendi haud tantum, ſed & ſcribendi materiam præbens. Nam profecturus in Batavos, ut Academiæ veſtræ civem daret, qvam publicam omnis & elegantiæ & eruditionis officinam non ignorabat, tradi à me &

commendari tibi imprimis, qvàm enixiſſimè cupiebat. Dedit ille ſe juri diſcendo; ſed ita, ut ad intelligendum illud ac adminiſtrandum rectius plurimum facere literas noſtras & eloqventiæ ſtudia, qvorum ſumma laus, *Marce*, in te, exiſtimarit ſemper. Qva de cauſa & innoteſcere tibi, & niſi id nimium, in colloqvium conſiliumqve admitti à te qvam maximè petit. Enimverò ſumuntur mores haud tantùm à converſantibus, ſed eruditio etiam atqve prudentia. Et qvò qvis doctior peritiorqve eſt, eo majore fructu congreſſus cum eo atqve ſermones conſtare ſolent. Eſt mihi cum patre ipſius, ampliſſimô ac integerrimo virô, conſvetudo antiqva ac amicitia: adoleſcens verò ipſe de complexu meo ac ſinu. Qvi qvum ingenium mihi ac mores à multis annis approbârit mirificè; non poſſum non complecti eum, ejusqve favere conatibus, qvantum poteſt. Age itaqve, *Boxhorni Clariſſime*, & mecum amare induc animum egregiam indolem, qvantumqve in tua manu poſitum, qvod ſane plurimum eſt, rationes illius ac ſtudia conſiliô juxta ac opè juvare promptè. Erit ea res tibi haud parvæ laudi; & obligabis tibi ejusmodi hominem, qvi boni cujusvis benevolentiâ, ac docti imprimis dignus. De me id tibi perſvadeas velim, me & libenter ſedulo facturum omnia, qvæ par ſit maximè facere, qvi cum aut jamdudum habeas amicitiam, aut qvi habere hanc tecum ſummopere cupiat atqve exoptet. Vale, *Clariſſime Vir*, & ita ſtatue, me excellentiſſimi ingenii tui

tui & amatorem & admiratorem perpetuo fore. Witteb. Non. Jun. Ann. cIɔ Iɔc xLIII.

LXXXVIII.

RESPONSORIA.

Auguſto Buchnero,

Viro Clariſſimo Doctiſſimoqve

M. Zuerius Boxhornius

S. P. D.

Tandem ergò amare debeo etiam te, AUGUSTE, qvi jampridem rariſſimas illas, & qvæ ſupra hoc ſeculum ſunt, ingenii tui dotes ac incomparabilem doctrinam maximè veneratus ſum. Nam hoſtis qvoqve, & cæteras ignoti hominis ſuſpicio virtutes; at amare, niſi in amico, non poſſum. Multum autem amiciſſimo viro Iohanni Brevero noſtro debeo, qvi ſingulare meum in te ſtudium profeſſus eſt tibi; qvem publicò nuper ſcripto in eorum numero poſui, qvales effœta hæc noſtra ætas plurimos deſiderat, & paucos habet. Qvod ſanè non ea de cauſa ſignificandum nunc duxi, qvaſi ſic aliqvid acceſſerit tibi, qvi omnes iſtiusmodi laudes longe exceſſiſti, ſed qvo docerem, communis amici fidem publico & noſtro teſtimonio eſſe confirmatam. Verum enim verò id te nunc rogo, ne, qvod facis, divinas illi dotes tribuas, cui ſunt omnia infra mediocritatem; aut ſummis eum viris annumeres, qvi multa haſtenus temerè auſus, non niſi ſolo titulo tueri ſe poteſt, illius ætatis, qva, ut cum Fabio apud te hominem diſertiſſimum, nunc loqvar: & ve-

nia eſt, ac ſpes & favor, & audere non dedecet, & ſiqvid deſit operi, ætas poſſit ſupplere. *Qvanti porrò egregia omnia, & ad æternitatem facta ingenia, imprimis tuum, faciam, S. tuus etiam intelliget, Iuvenis doctiſſimus, id eſt, Buchneriana illius laudatiſſimæ alumnus diſciplinæ. Vale, Vir Erudituſſime, & ut cœpiſti, conſtanter me amare perge. Lugd. Batav. ipſis Kalend. Sept. cIↄ Iↄc XLIII.*

LXXXIX.

ILLUSTRI VIRO
DANIELI HEINSIO
S. P.

EX eo tempore, *Illuſtris Heros*, qvum te in tuis Exercitationibus occupatiſſimum eſſe, atqve id ſtrenuè agere ſcriberes, ut nobiliſſimo operi incomparabilis colophon imponeretur, nihil literarum abs te accepi. Nec ipſe ſuſtinui ſcribere, ne interpellarem, qvô tenebaris, ſtudium, & ſic in publica poſteritatis totius commoda, qvam immortalibus meritis qvotidie magis ac magis obſtringis tibi, aliqvid ſecus committerem. Accedebat, qvòd etſi eſſet, qvod ſcriberem; non eſſet tamen, qvi rectè ac commodè perferre poſſet. Interim ſervavi tibi ſemper inviolatum & integrum, qvem me debere libenter fateor, cultum; nec qvicqvam deceſſit reverentiæ ac admirationi, qvâ divinas tuas atqve incomparabiles dotes, qvibus in ſummum evehis ſeculi gloriam, & vel antiqvitatem

tatem ipſam provocas, ac eruditionem inuſitatam & proſecutus hactenùs ſum,& ſemper deinceps ſinceré colam. Sed in præſenti ideò ſcribo,non ut teſtificer tantum de mei officii conſtantia, ſed ut commendem qvoqve ac tradam, latorem harum G.S.adoleſcentem egregium & qvem ob plures cauſas ad inſtar filii amo. Pater amicus ſummus à multis annis; ipſe egregiæ ac elegantiſſimæ indolis; iis præterea tinctus literis,qvas vulgus ſpernit,qvi præſtantiam illarum ignorat. Et has ut indueret animô,nonnihil nobis debet. Nunc Juridicæ arti attendere cœpit, qvam ut excoleret, & ad civilem prudentiam traduceret, Bataviam veſtram petiit, omnis politioris ſapientiæ magiſtrâm unicam ac ducem. Multùm te oro,*Illuſtris Heros*,faveas homini,qvi & præ multis aliis gentibus miratur Belgas, & te in illis præcipue, verè portentum omnis elegantioris doctrinæ & literarum, columenqve ac lumen. Vale, Wittebergæ, ad d. IX. Junii. Anno CIƆ IƆCXLIII.

XC.
RESPONSORIA.

Clariſſime ac Eruditiſſime Virorum,

QVò ego te affectu ſemper proſecutus ſim, nôrunt omnes, qvi me nôrunt. Nunqvam enim, neſcio qvomodo, Germaniæ tuæ memini, qvin & tui ſimul meminiſſe cogar. Cujus potiſſimum cauſa afflictum patriæ veſtræ, qvondam florentiſſimæ, ſtatum miſerari ſoleo; in qva Muſis, qvas tàm feliciter, ſi qvis unus, tu in ea co-

lis, qvotidiè afferri, ac inſtare barbariem videmus, & *toti propè Europæ, fato qvodam imminere videtur. Adoleſcentem, qvem commendas nobis, & amplexus ſum, & qvæcunqve à me exſpectari poſſunt, bona fide obtuli. Qvid enim talibus non debeo? Imprimis verò iis, qvi à viro tali ac amico commendantur. Utinam de rebus veſtris, & qvo loco jam ſint, aliqvando ad nos ſcribas. Vix enim dici poteſt, qvàm & parum grati nobis, & incerti ſæpe huc rumores afferantur. Habebam qvædam noſtra, qvæ libenter transmiſiſſem, niſi ſcirem, ægre tabellarios his onerari. Interim occaſioni defuturus non ſum. Qvi ut ſuprà, qvam dici poteſt, virtutis nominisqve tui ſtudioſum inter tuos habeas, rogat ſupplicatqve*

Tui
Studioſiſſimus
Daniel Heinſius,

XCI.

Generoſo Magnificoqve VIRO
HENRICO à FRISEN
S. P.

QVid ſcribam aut non ſcribam, ſcio parum. Usqve adeo ſtupet mens, exſternataq; tota eſt novi fulminis vi, qvod meum afflavit convictorium, eumqve percuſſit, qvem multas ob cauſas impenſiſſimè ſemper amavi, N. *Nobiliſſime HENRICE.* Sed detinendus non es obſcuræ

ſcuræ orationis ambitu, ne magis terreant ſuſpenſa verborum; & exponenda tota res, ſicut eſt geſta. Non interfuit ** nocturnæ ſymphoniæ aut rixæ, de qva heri ad te; ſed rectà domô poſt cœnam in tempore ivit cubitum, ut eò maturius ſurgeret, ſtudiis ſuis pro conſvetudine invigilaturus. Interim dum auctor exqviritur illius lethiferi vulneris, qvo confoſſus miles, & audiuntur teſtes, it dies alter & alter: tertio de NAUENDORFFIO (qvem, neſcio qvô infelici fatô in miſerabilem hunc caſum reliqvit pater, qvem multò ante, ut domum rediret, voluerat) conſtat. Senatus, ut ſuo officio ſatisfaceret, illico dat negotium, aliis, qvi claudendas curarent urbis portas; aliis, qvi veſtigarent hominem ducerentqve. Tempus prandii erat: in eo cum accubuiſſet N. N. cum cæteris, ingrediuntur ædes meas, qvi NAUENDORFFIUM, ſed qvi jam aberat, deprehenderent. Attonitus rei miraculô N. N. & fortè amico aliqvid timens, (nam cum NAUENDORFFIO à condiſcipulatu usqve conjunctiſſimè vixit multis annis) proripere ſe de menſa & abire. Ego, ne viderem domi qvæ urerent, miſſô Senatu ſub horam 1. à meridie, in collegæ ædes conceſſi, atqve cum eo pranſus ſum, rediturus mox in Senatum rurſus, uti convenerat paulò antè. Qvò cum veniſſem, offendi ibi N. N. qvi ſubitô illô diſceſſu ex prandio ſuſpicionem moverat, ac ſi de latebris NAUENDORFFII ipſi conſtaret, eaqve de cauſâ adeſſe erat juſſus. Hic perſvaderi cum

nullus poſſet, ut reſponderet ad ea, qvæ rogabatur, (dicendum autem cum maximè erat, qvò ſeſe loci, atqve ad qvem ex prandio paulò prorupiſſet antè) inqvê illo æſtu, ut ſolet accidere anxiis atqve attonitis, qviqve aliis magis qvàm ſibi metuunt, qvædam incautiùs ſeruiſſet: concitati Patres illicò jubent proficiſci in carcerem, mox relegandû, niſi reſiperet ederetqve, qvæ ſciret. Imminebat hora IIX. veſpertina: Itaqve miſſus Senatus eſt. Reverſus domum cœnaturus, diligenter ac ſerio graviterqve ipſum monui, pareret voluntati Senatus, nec ſibi pergeret male conſulere: cumq; & æſtu ſolutum, & multis laboribus fractum corpus cauſſaretur, id petii ſaltem, ut ad Rectorem Magnificum aut ipſe iret cœnatus, aut amicorum aliqvem mitteret, qvi emanendi ex carcere veniam inſeqventis diei mane impetraret. Qvod cum facturum ſe recepiſſet, paulò poſt, cùm rediiſſet ad ſe, legavit ad Rectorem qvendam è notis, ſed qvi non ſatis ſobriè (ut accepi poſteà) cauſam egit. De qvo cùm factus eſſem certior ſeqventi die, nihil cunctatus literas do, denuoqve ut voluntati Senatûs obtemperet, tot nobiliſſimas familias, qvibus innexus, & ſemet ipſum reſpiciat, & dum amici ſaluti conſulit, ne ſuam ipſius evertat, etiam atq; etiam ipſum moneoqve ac hortor. Mox moras cùm nectere videretur, ad easdem redeò partes, vocatumqve in muſeum, qvantum poteram, obteſtatus ſum, præberet aurem, & ſaniora conſilia uti capeſſeret. Neqve renuebat ſeqvi ille, aut

mor-

mordere frenos, ſed planè victus videbatur, & obtemperaturus monitis, qvòd anteà ſemper ſolitus homo modeſtus & verecundus. Sed diſtulit nihilominus tamen facere, qvæ ſine mora facienda erant, an impeditus religione aliqvâ, aut aliis rationibus adductus, pronunciare non poſſum. Ita fit, ut iterum convocato Senatu damnaretur contumaciæ; atqve ad annos X. relegaretur; qvamvis petieram, ut juveni cauto non ſatis per ætatem, & conſulenti ſibi, deinde tot nobiliſſimis familiis, qvas ordine recenſui, parcere vellent, & de re iſta amplius cogitare. A cœna cum appelletus eſſem iterum heri (manè diei illius ad te ſcripſeram) de conficiendo programmate, qvô promulgaretur relegatio, (nam detrectàram eas partes jam ante & alii in ſe ſuſcipere, qvod mei aliàs eſſet officii, noluerant) denuo, ut mihi gratia fieret, ſcripto petii, deceſſurus totâ illâ provinciâ ſtipendioqve, ſi cogere pararent. Qvô id effectum eſt, ut ſeqventis diei manè ſententia Patrum, qvod fieri pro more oportuit, non publicaretur. Intereà temporis Præſes Electoralis curiæ, & ditionis Wittenbergenſis Præfectus ſummus, generoſus Dominus ab *Ebeleben*, & illâ veſperâ, & inſeqventis diei manè intercedere pro noſtro, & à Rectore Magnifico petere, ut differretur ſaltem pœnæ publicatio, ſi pœna ipſa remitti haud poſſet: qvod ipſe qvoqve hodiè hora V. matutinâ, prolixô ſcripto ad Rectorem miſſo, & mox accitus coràm, enixe contendi, ſperans fore leniora uti conſulerent Patres,

 ſi re-

ſi reſidendi tumentibus animis ſpatium aliqvod concederetur. Nam & paratus N.N.erat, deprecari veniam, & qvicqvid noſſet, edere ac aperire. Nec ſe difficilem ad aſſentiendum præbebat Rector, jam ante N. N. prolixè favens. Qvo accedebat interceſſio Domini *Ebelebii*, cui non locum dare durum eidem videbatur. Commendavi & aliis Collegarum eandem cauſam, eosqve traxi in partes; ſed contra ſentientium tamen pars, ut major fuit, ita obtinuit qvoqve. Decennii tamen relegatio in biennalem mutata fuit, conceſſumqve noſtro bidui ſpatium, qvô ſuas res interim ordinare poſſet. Nullis verbis exprimi poteſt, qvam me confuderit res, de ea edoctum. Neqve enim interfui Senatui iſti ultimo & capitali, qvi hodiè finitis ſacris matutinis habitus, ob graviſſimas cauſſas, qvas, ne prolixior ſim, in præſenti omitto. Noſter cum ſub, III. pomeridian, nonnullos Dreſdam ituros navi accepiſſet, ipſe ire unà ex tempore ſtatuit, ut te, HENRICE NOBILISSIME, & Generoſiſſimum Dominum Parentem tuum veneratus conſulèret inops ipſe conſilii, & caſu acerbô turbatus valde. Sed dum ad iter accingitur, per amicos reſciſcit, imperatos excubitores ad portam à Legato Legionis caſtriqve præfecto, ne exeundi copiam facerent conſcenſuro navem. Ita reſiſtere coactus, occaſionem aliam veniendi exſpectat. Sed cum diſſimulanda momenti tanti res minimè videretur, hæc interim ſcribere volui, uti de ea, ſicut geſta eſt, ex me cognoſceres, qvàm aliis potius, qvi vera

falſa-

falſaqve more famæ in majus tollerent. Ac ſcio qvidem, qvid Academiæ debeam, qvamqve ſeveritate qvandoq; opus ſit, ut conſervetur publica res: Sed neqve dilationem ſaltem, qvam tot graviſſimæ cauſſæ (& allegavi) ſvadebant, concedere; hoc neſcio, conſtantiamne, an rigorem atqve duritiem potius appellem. Vixit N.N. ita hactenus, ut mihi non tantùm, ſed bonis plerisqve omnibus ſe facilè probaret. In literis ſtudiisqve optimis verſatus eſt ita, ut teſtimoniô noſtrô nihil indigeat, qvi ſuæ induſtriæ ac diligentiæ luculenta ſanè documenta edere ipſemet qveat. Peccavit, fateor: ſed excuſatius, qvod ante nullius flagitii aut mali facinoris peractus reus: peccavit, inqvam; ſed dudum & alii, idqve atrocius, qvi multo clementiùs tamen puniti. Sed contumaciæ arguitur? atqvi & alii, non ſi in gravi æqve cauſſa; at petulantius tamen & flagitioſius reſtitêre. Nam noſter qvod reſtitit, non tàm ut magiſtratus auctoritatem calcaret, qvam ut amico conſuleret, fecit. Malè id qvidem, ſed tamen inani honeſtatis ſpecie, & qvadam virtutis deceptus larva, dum fidem & amicitiam putat, qvod erat neutrum, qvem tamen prætextum alii in iſto crimine haud habuere, manifeſti contemtores magiſtratus, & ſolâ perverſâ libidine mali. Noſti, qvàm potens atqve imperioſus affectus amor ſit: qvanta incumbat vehementia animis, & qvas immittere furias ſoleat: in juvenibus maximè, in qvibus nihil mediocre eſt; cumqve

Google

qve & metus & pavor ſtimulat, & pene ultimum videatur adire diſcrimen, qvem non tàm amamus, qvàm deperimus. Qvapropter durius paulò & inhumaniùs factum puto, qvod impetrari haud potuit, non, ut remitteretur pœna, ſed promulgatio ejus ſaltem ac executio differretur. Præſertim cum mora iſta nihil affligere negotium, & nulli fraudi videretur fore. Sed nolo qvicqvam pronunciare de iſtâ re, ut tibi judicium integrum reſervem. Neqve hæc ſcripſi ad te, ut qvemqvam accuſem, ſed ut occaſionem habeas, de tota re & tecum ipſo, & cum Domino Parente Generoſiſſimo, ſi videatur, paulo perpenſius deliberandi, donec N. N. ipſe te complecteretur. Nam ſimul diſcedendi copiam nactus erit, confeſtim ad vos proficiſcetur. Cæterum cum parva ſemper non tantùm, ſed & ingenioſa malignitas ſæpius ſit, idcircò per benevolentiæ, qva me complecteris, genium te oro ac obſecro, ut ſi qvi ſiniſtri ſermones ſerpere cœperint atqve irrepere animis, tu auctoritate tuâ refutes, & tempori ac neceſſitati meæ maturè aſſis. Cavere & providere ventura omnia, ne ſapientiſſimi qvidem, declinare, cum venerint, atqve corrigere, nec præcellentiſſimi poſſunt. Solus DEUS poteſt omnia, & iſte teſtis mihi erit, ſimplicem ſinceramqve narrationem me attuliſſe qvam neqve ulla veri diſſimulatio, & nulla falſi admiſtio contaminarit atqve corruperit. Ut ſicut ſine vitio ipſa eſt, ſic integrè atqve ſincerè de univerſo negotio ſtatuere ac judicare qveas. Vale, PATRONE

NE OPTIME, & tuo N.N. qvâ potes ratione, conſule; me verò, qvod facies ſtrenuè, tueri atqve amare perge. Wittenbergæ ad d. xxx. Junii multâ nocte, Anno cIↃ IↃC XLIV.

XCII.

Eidem S. P.

NOBILISSIME DOMINE,

TErnas ad te epiſtolas hactenus dedi: primâ alterâqve meorum caſus, & iſtâ qvidem nobiliſſimi N. noſtri commendavi: ultimâ tuam ipſius cladem lugere ſimul lenireqve ſolando aggreſſus ſum. Ad qvas qvòd nihil reſpondiſti hactenus, vel abſentiâ tuâ, qvi illo ipſo tempore in prædia tua à qvibusdam, ab aliis in thermas dicebaris profectus; vel acerbitate doloris tui factum eſt, qvi ſicut aliam omnem libidinem animi, ita ſcribendi qvoq; obliteravit atq; extinxit. Neq; verò hoc reprehendat aliqvis temere, qvi & virtutes amiſſæ uxoris æſtimet, & tui amoris erga ipſam magnitudinem attendat; tum & recogitet, qvàm eſſe non durô, & ſaxeô, ſed multò humaniſſimô animo ſoleas in qvosvis alios, nedum tàm arctè devinctos tibi atqve conjunctos. Tantumqve abeſt, ut dolére ſuorum mortibus, aut virô, aut ſapiente indignum ſit, ut illos ipſi rigidiſſimi Stoici reprehenderint, qvi ſine affectione & motu animi efferre atqve componere ſuos poſſent. Nec poterant ſanè facere aliter, qvi ſecundum naturam, cujus imperio geminius homines & lacrymamur, vivere, ipſum hominis finem pronunciabant. Id cogitan-

gitandum tamen eſt, non indulgendum magis affectui, qvam rationi obtemperandum parendumqve eſſe: atqve cavendum maxime, ne pietas aut in mollitiem abeat, aut iniqvitatem erumpat. Qvanqvam impius magis, qvam iniqvus ſit, qvi DE[I] & neceſſitati parere detrectet. Qvæ ideò ſcribo, non ut ſubjiciam, ac iis tibi opus eſſe exiſtimem, ſed qvia commentatio nos eo ferebat. Ipſe enim nihil aut nobili virô, aut ſapiente unqvam committere indignum poteris: itaq; te comparabis perpetuò, ut magnitudo animi nobilitatem generis, cæterum moderatio ſapientiſſimum tuum ingenium prolixè oſtendat. Sed qvoniam FRISIO tuo nunc bonam partem conſultum eſt; reſtat, ut N. cauſam ſuſcipias, eiqve aſſiſtas patronus contra nimiam & importunam qvorundam ſeveritatemne an impotentiam, qvi forte privatis ſimultatibus prætexunt publicum, ac per illius latus me ipſum qvoqve fortaſſean petere voluerunt. Noſti, Patrone, qvô eſſe nonnulli in literas noſtras animô ſoleant, & qvam indigne ferre, ſi uni ipſi & ſoli non æſtimentur à viris principibus; ſed aliqvô etiam habeantur pretio, qvos ipſi, ut ineptiſſimos mortalium, & uſûs nullius homines, qvantum poteſt, deſpiciunt atqve contemnunt. Qvi tamen nunqvam efficient, ut bonam mentem amare nolim, iisqve inſiſtere itineribus, qvibus tot ſummos atqve ingentes viros præceſſiſſe videam. Qvos aſſeqvi atq; æqvare etſi arduum ſit, & datum paucis: ſeqvi tamen & incitari, qvoad valeas,

leas, nunqvam non laudi ac gloriæ eſſe ſolet. Vale *N, obiliſſime Vir*, meqve & literas tuas, qvod facis, amare non tantum, ſed tueri etiam perge. Wittenbergæ IV. Calend. Sextil. Anno Ↄↄc Ↄↄc XLIV.

XCIII.

Eidem S. P.

Nobiliſſime Domine,

POſtqvam tu ex amantiſſimæ conjugis luctu, qvi ferme ſilentium ac ſolitudinem amat, reſpirâſti non nihil; & ego domeſticarum cladium dolorem, qvi ſibi uni ferme eſſe intentus affixusqve ſolet, fregi ex parte; & mihi ad ſcribendi officium redire licuit, & abs te impetrari, ſpero, poterit, ut ſolventem ſilentia non invitus admittas. Sed ut plerumqve non expedire ſatis ſolet, qvæ violentâ qvâdam ratione inſtituitur mutatio: & qvi ex longa fame aruerunt, non implendi cibis, ſed reficiendi tenuiter ſunt; ita à longo & diuturno ſilentio ad longam prolixamqve epiſtolam venire, periculoſum qvodammodo erit. Sed tua imprimis deprædicanda humanitas eſt, NOBILISSIME HENRICE, qvi poſtqvam accepiſti infortunium noſtrum, id non tam miſerandum verbis, qvam ipſa re ſolandum levandumqve exiſtimâſti. Qvod officium tuum, ſicut haud potuit fieri, qvin mihi gratiſſimum & jucundiſſimum accideret; ita pro eo meritò tibi eas & ago & habeo gratias, qvas ſingularis tua liberalitas merita eſt, Audio fratrem CAROLUM tecum eſ-

ſe.

ſe. O gratum acceptumqve nuncium! Et ô fecilem beatumqve me, ſi adeſſe vobis unam horam ſaltem,& videre videriqve liceat, & in tàm optatis amplexibus revocare animum à curis ſuis! Sed qvamvis id in præſenti nobis negatū eſt; id tamen ſperare potero, fore, ut rediturum in Holſatiam in urbe noſtra & meis ædibus hoſpitem hoſpes, ſi non pro dignitate ejus ac meritis, ſed pro fortunis noſtris excipiam tamen. Qvod ſi reſciero; moraturum adhuc vobiſcum per tempus aliqvod, ipſe ad eum dabo literas; interim ipſum multùm ac perofficioſe meô nomine,ni grave eſt, ſalutabis, atqve experiere, adducine patiatur, ut meum filium JOHANNEM ſecum in Holſatiam ducat, vel ipſe uſurus miniſteriô ejus & operâ,vel alteri hero commodo in res easdem traditurus. Latinè peritus tenuiter eſt:in ſcriptura & numeris aliqvid præſtat.Cæterum rectô magis qvam acutô verſutoqve ingenio eſt; & in qvo neqve fidem, nec bonam mentem deſiderare poſſis. Alienus præterea maximè à luxu omni, & nihil minùs qvàm contumax & ſui ſenſûs,qvæ in multis notes. Has artes, ni fallor, & poterit præſtare, & ſemper volet. Qvæ ſi dignæ commendatione ſunt, non pigebit te his nominibus tradere ipſum Nobiliſſimo fratri. Idqve ut facias, etiam atqve etiam abs te peto atqve contendo, NOBILISSIME HENRICE. Vale feliciter. Raptim ad d. XXX. Octobr. Anno CIↃ IↃC XLIV.

P. S.

Nobiliſſimus à Taube egregiè tuetur partes: is te officioſe ſalutat.

XCIV.

XCIV.

Eidem S. P.

QVæ ſcripta nobis, atqve fixa publicè,
Docuere pridem, qvæ ſibi piis vacans
Semeſtri in iſto (forſitan & ultra qvoqve)
Muſea pubes literis promittere
Buchnerianâ à diligentiâ qveat,
Habe: o PATRONE dulcis, & decus meum,
HENRICE magne, cumqve CAROLO Tuo,
Meoqve; (ni ſit improbum iſtud dicere]
Lege & recenſe, non tamen rigidè nimis:
Sed facilis, & benignus, & multum favens,
[Ut eſt neceſſe ruris inficetias
Buchneriani legere qvando uſus venit)
Nec non eorum comiter tecum memor,
Pro filio qvæ nuper auſus poſcere,
Qvanqvam moleſtus, nec verecundus ſatis.
Sed ſcis, PATRONE, temporum neceſſitas
Qvæ ſvadeat cogatqve inevitabilis,
Putare ſecum qvæ ſuam ſortem unicè
Ut amat ſoletqve; ſic planè obliviſcitur,
Decere legem per pudoris qvod qveat.
Henrice, *ſalve multum, & optimè val*
Tecumqve Frater Carolus, *ſidus meum*
Uterqve, timidæ & portus optatus rati.

Scribebam Wittenbergæ ad d. VI. Novembris, Anno cIↄ Iↄc XLIV.

nullus poſſet, ut reſponderet ad ea, qvæ rogabatur, (dicendum autem cum maximè erat, qvò ſeſe loci, atqve ad qvem ex prandio paulò prorupiſſet antè) inqve illo æſtu, ut ſolet accidere anxiis atqve attonitis, qviqve aliis magis qvàm ſibi metuunt, qvædam incautiùs ſeruiſſet: concitati Patres illicò jubent proficiſci in carcerem, mox relegandū, niſi reſiperet ederetqve, qvæ ſciret. Imminebat hora IIX. veſpertina: Itaqve miſſus Senatus eſt. Reverſus domum cœnaturus, diligenter ac ſerio graviterqve ipſum monui, pareret voluntati Senatus, nec ſibi pergeret male conſulere: cumq; & æſtu ſolutum, & multis laboribus fractum corpus cauſſaretur, id petii ſaltem, ut ad Rectorem Magnificum aut ipſe iret cœnatus, aut amicorum aliqvem mitteret, qvi emanendi ex carcere veniam inſeqventis diei mane impetraret. Qvod cum facturum ſe recepiſſet, paulò poſt, cùm rediiſſet ad ſe, legavit ad Rectorem qvendam è notis, ſed qvi non ſatis ſobriè (ut accepi poſteà) cauſam egit. De qvo cùm factus eſſem certior ſeqventi die, nihil cunctatus literas do, denuoqve ut voluntati Senatûs obtemperet, tot nobiliſſimas familias, qvibus innexus, & ſemet ipſum reſpiciat, & dum amici ſaluti conſulit, ne ſuam ipſius evertat, etiam atq; etiam ipſum moneoqve ac hortor. Mox moras cùm nectere videretur, ad easdem redeo partes, vocatumqve in muſeum, qvantum poteram, obteſtatus ſum, præberet aurem, & ſaniora conſilia uti capeſſeret. Neqve renuebat ſeqvi ille, aut mor-

mordere frenos, ſed planè victus videbatur, & obtemperaturus monitis, qvòd anteà ſemper ſolitus homo modeſtus & verecundus. Sed diſtulit nihilominus tamen facere, qvæ ſine mora facienda erant, an impeditus religione aliqvà, aut aliis rationibus adductus, pronunciare non poſſum. Ita fit, ut iterum convocato Senatu damnaretur contumaciæ; atqve ad annos X. relegaretur; qvamvis petieram, ut juveni cauto non ſatis per ætatem, & conſulenti ſibi, deinde tot nobiliſſimis familiis, qvas ordine recenſui, parcere vellent, & de re iſta amplius cogitare. A cœna cum appelletus eſſem iterum heri (manè diei illius ad te ſcripſeram) de conficiendo programmate, qvô promulgaretur relegatio, (nam detrectàram eas partes jam ante & alii in ſe ſuſcipere, qvod mei aliàs eſſet officii, noluerant) denuo, ut mihi gratia fieret, ſcripto petii, deceſſurus totâ illâ provinciâ ſtipendioqve, ſi cogere pararent. Qvô id effectum eſt, ut ſeqventis diei manè ſententia Patrum, qvod fieri pro more oportuit, non publicaretur. Intereà temporis Præſes Electoralis curiæ, & ditionis Wittenbergenſis Præfectus ſummus, generoſus Dominus ab *Ebeleben*, & illâ veſperâ, & inſeqventis diei manè intercedere pro noſtro, & à Rectore Magnifico petere, ut differretur ſaltem pœnæ publicatio, ſi pœna ipſa remitti haud poſſet: qvod ipſe qvoqve hodiè hora V. matutinâ, prolixô ſcripto àd Rectorem miſſo, & mox accitus coràm, enixe contendi, ſperans fore leniora uti conſulerent Patres,

ſi reſidendi tumentibus animis ſpatium aliqvod concederetur. Nam & paratus N.N. erat, deprecari veniam, & qvicqvid noſſet, edere ac aperire. Nec ſe difficilem ad aſſentiendum præbebat Rector, jam ante N. N. prolixè favens. Qvo accedebat interceſſio Domini *Ebelebii*, cui non locum dare durum eidem videbatur. Commendavi & aliis Collegarum eandem cauſam, eosqve traxi in partes; ſed contra ſentientium tamen pars, ut major fuit, ita obtinuit qvoqve. Decennii tamen relegatio in biennalem mutata fuit, conceſſumqve noſtro bidui ſpatium, qvô ſuas res interim ordinare poſſet. Nullis verbis exprimi poteſt, qvam me confuderit res, de ea edoctum. Neqve enim interfui Senatui iſti ultimo & capitali, qvi hodiè finitis ſacris matutinis habitus, ob graviſſimas cauſſas, qvas, ne prolixior ſim, in præſenti omitto. Noſter cum ſub, III. pomeridian. nonnullos Dreſdam ituros navi accepiſſet, ipſe ire unà ex tempore ſtatuit, ut te, HENRICE NOBILISSIME, & Generoſiſſimum Dominum Parentem tuum veneratus conſuleret inops ipſe conſilii, & caſu acerbô turbatus valde. Sed dum ad iter accingitur, per amicos reſciſcit, imperatos excubitores ad portam à Legato Legionis caſtriqve præfecto, ne exeundi copiam facerent conſcenſuro navem. Ita reſiſtere coactus, occaſionem aliam veniendi exſpectat. Sed cum diſſimulanda momenti tanti res minimè videretur, hæc interim ſcribere volui, uti de ea, ſicut geſta eſt, ex me cognoſceres, qvàm aliis potius, qvi vera

falſa-

falſaqve more famæ in majus tollerent. Ac ſcio qvidem, qvid Academiæ debeam, qvamqve ſeveritate qvandoq; opus ſit, ut conſervetur publica res: Sed neqve dilationem ſaltem, qvam tot graviſſimæ cauſſæ (& allegavi) ſvadebant, concedere; hoc neſcio, conſtantiamne, an rigorem atqve duritiem potius appellem. Vixit N.N. ita hactenus, ut mihi non tantùm, ſed bonis plerisqve omnibus ſe facilè probaret. In literis ſtudiisqve optimis verſatus eſt ita, ut teſtimonió noſtró nihil indigeat, qvi ſuæ induſtriæ ac diligentiæ luculenta ſanè documenta edere ipſemet qveat. Peccavit, fateor: ſed excuſatius, qvod ante nullius flagitii aut mali facinoris peractus reus: peccavit, inqvam, ſed dudum & alii, idqve atrocius, qvi multo clementiùs tamen puniti. Sed contumaciæ arguitur? atqvi & alii, non ſi in gravi æqve cauſſa; at petulantius tamen & flagitioſius reſtitère. Nam noſter qvod reſtitit, non tàm ut magiſtratus auctoritatem calcaret, qvam ut amico conſuleret, fecit. Malè id qvidem, ſed tamen inani honeſtatis ſpecie, & qvadam virtutis deceptus larva, dum fidem & amicitiam putat, qvod erat neutrum, qvem tamen prætextum alii in iſto crimine haud habuere, manifeſti contemtores magiſtratus, & ſolâ perverſâ libidine mali. Noſti, qvàm potens atqve imperioſus affectus amor ſit: qvanta incumbat vehementia animis, & qvas immittere furias ſoleat; in juvenibus maximè, in qvibus nihil mediocre eſt; cum-

qve

qve & metus & pavor ſtimulat, & pene ultimum videatur adire diſcrimen, qvem non tàm amamus, qvàm deperimus. Qvapropter durius paulò & inhumaniùs factum puto, qvod impetrari haud potuit, non, ut remitteretur pœna, ſed promulgatio ejus ſaltem ac executio differretur. Præſertim cum mora iſta nihil affligere negotium, & nulli fraudi videretur fore. Sed nolo qvicqvam pronunciare de iſtâ re, ut tibi judicium integrum reſervem. Neqve hæc ſcripſi ad te, ut qvemqvam accuſem, ſed ut occaſionem habeas, de tota re & tecum ipſo, & cum Domino Parente Generoſiſſimo, ſi videatur, paulo perpenſius deliberandi, donec N. N. ipſe te complecteretur. Nam ſimul diſcedendi copiam nactus erit, confeſtim ad vos proficiſcetur. Cæterum cum parva ſemper non tantùm, ſed & ingenioſa malignitas ſæpius ſit, idcircò per benevolentiæ, qva me complecteris, genium te oro ac obſecro, ut ſi qvi ſiniſtri ſermones ſerpere cœperint atqve irrepere animis, tu auctoritate tuâ refutes, & tempori ac neceſſitati meæ maturè aſſis. Cavere & providere ventura omnia, ne ſapientiſſimi qvidem, declinare, cum venerint, atqve corrigere, nec præcellentiſſimi poſſunt. Solus DEUS poteſt omnia, & iſte teſtis mihi erit, ſimplicem ſinceramqve narrationem me attuliſſe qvam neqve ulla veri diſſimulatio, & nulla falſi admiſtio contaminarit atqve corruperit. Ut ſicut ſine vitio ipſa eſt, ſic integrè atqve ſincerè de univerſo negotio ſtatuere ac judicare qveas. Vale, PATRO-

NE

NE OPTIME,& tuo N.N. qvâ potes ratione, conſule; me verò,qvod facies ſtrenuè, tueri atqve amare perge. Wittenbergæ ad d. xxx. Junii multâ nocte, Anno CIↃ IↃC XLIV.

XCII.

Eidem S. P.

NOBILISSIME DOMINE,

TErnas ad te epiſtolas hactenus dedi: primâ alteràqve meorum caſus, & iſtâ qvidem nobiliſſimi N.noſtri commendavi: ultimâ tuam ipſius cladem lugere ſimul lenireqve ſolando aggreſſus ſum. Ad qvas qvòd nihil reſpondiſti hactenus, vel abſentiâ tuâ, qvi illo ipſo tempore in prædia tua à qvibusdam, ab aliis in thermas dicebaris profectus; vel acerbitate doloris tui factum eſt, qvi ſicut aliam omnem libidinem animi,ita ſcribendi qvoq; obliteravit atq; extinxit. Neq; verò hoc reprehendat aliqvis temere, qvi & virtutes amiſſæ uxoris æſtimet,& tui amoris erga ipſam magnitudinem attendat; tum & recogitet, qvàm eſſe non durô,& ſaxeô, ſed multò humaniſſimô animo ſoleas in qvosvis alios,nedum tàm arctè devinctos tibi atqve conjunctos. Tantumqve abeſt, ut dolére ſuorum mortibus,aut virô,aut ſapiente indignum ſit,ut illos ipſi rigidiſſimi Stoici reprehenderint, qvi ſine affectione & motu animi efferre atqve componere ſuos poſſent. Nec poterant ſanè facere aliter, qvi ſecundum naturam,cujus imperio geminius homines & lacrymamur,vivere, ipſum hominis finem pronunciabant. Id cogitan-

gitandum tamen eſt, non indulgendum magis affectui, qvàm rationi obtemperandum parendumqve eſſe: atqve cavendum maxime, ne pietas aut in mollitiem abeat, aut iniqvitatem erumpat. Qvanqvam impius magis, qvam iniqvus ſit, qvi DEO & neceſſitati parere detrectet. Qvæ ideò ſcribo, non ut ſubjiciam, ac iis tibi opus eſſe exiſtimem, ſed qvia commentatio nos eo ferebat. Ipſe enim nihil aut nobili virô, aut ſapiente unqvam committere indignum poteris: itaq; te comparabis perpetuò, ut magnitudo animi nobilitatem generis, cæterum moderatio ſapientiſſimum tuum ingenium prolixè oſtendat. Sed qvoniam FRISIO tuo nunc bonam partem conſultum eſt; reſtat, ut N. cauſam ſuſcipias, eiqve aſſiſtas patronus contra nimiam & importunam qvorundam ſeveritatemne an impotentiam, qvi forte privatis ſimultatibus prætexunt publicum, ac per illius latus me ipſum qvoqve fortaſſean petere voluerunt. Noſti, Patrone, qvô eſſe nonnulli in literas noſtras animô ſoleant, & qvam indigne ferre, ſi uni ipſi & ſoli non æſtimentur à viris principibus; ſed aliqvô etiam habeantur pretio, qvos ipſi, ut ineptiſſimos mortalium, & uſûs nullius homines, qvantum poteſt, deſpiciunt atqve contemnunt. Qvi tamen nunqvam efficient, ut bonam mentem amare nolim, iisqve inſiſtere itineribus, qvibus tot ſummos atqve ingentes viros præceſſiſſe videam. Qvos aſſeqvi atq; æqvare etſi arduum ſit, & datum paucis: ſeqvi tamen & incitari, qvoad valeas,

leas, nunqvam non laudi ac gloriæ eſſe ſolet. Vale *Nobiliſſime Vir*, meqve & literas tuas, qvod facis, amare non tantum, ſed tueri etiam perge. Wittenbergæ IV. Calend. Sextil. Anno Iↄc Iↄc XLIV.

XCIII.
Eidem S. P.

Nobiliſſime Domine,

POſtqvam tu ex amantiſſimæ conjugis luctu, qvi ferme ſilentium ac ſolitudinem amat, reſpirâſti non nihil; & ego domeſticarum cladium dolorem, qvi ſibi uni ferme eſſe intentus affixusqve ſolet, fregi ex parte; & mihi ad ſcribendi officium redire licuit, & abs te impetrari, ſpero, poterit, ut ſolventem ſilentia non invitus admittas. Sed ut plerumqve non expedire ſatis ſolet, qvæ violentâ qvâdam ratione inſtituitur mutatio: & qvi ex longa fame aruerunt, non implendi cibis, ſed reficiendi tenuiter ſunt; ita à longo & diuturno ſilentio ad longam prolixamqve epiſtolam venire, periculoſum qvodammodo erit. Sed tua imprimis deprædicanda humanitas eſt, NOBILISSIME HENRICE, qvi poſtqvam accepiſti infortunium noſtrum, id non tam miſerandum verbis, qvam ipſa re ſolandum levandumqve exiſtimâſti. Qvod officium tuum, ſicut haud potuit fieri, qvin mihi gratiſſimum & jucundiſſimum accideret; ita pro eo meritò tibi eas & ago & habeo gratias, qvas ſingularis tua liberalitas merita eſt, Audio fratrem CAROLUM tecum eſſe.

XCIV.

EIdem S. P.

QVæ ſcripta nobis, atqve fixa publicè,
Docuere pridem, qvæ ſibi piis vacans
Semeſtri in iſto (forſitan & ultra qvoqve)
Muſea pubes literis promittere
Buchnerianâ à diligentiâ qveat,
Habe o PATRONE dulcis, & decus meum,
HENRICE magne, cumqve CAROLO Tuo,
Meoqve; (ni ſit improbum iſtud dicere]
Lege & recenſe, non tamen rigidè nimis:
Sed facilis, & benignus, & multum favens,
[Ut eſt neceſſe ruris inficetias
Buchneriani legere qvando uſus venit)
Nec non eorum comiter tecum memor,
Pro filio qvæ nuper auſus poſcere,
Qvanqvam moleſtus, nec verecundus ſatis.
Sed ſcis, PATRONE, temporum neceſſitas
Qvæ ſvadeat cogatqve inevitabilis,
Putare ſecum qvæ ſuam ſortem unicè
Ut amat ſoletqve; ſic planè obliviſcitur,
Decere legem per pudoris qvod qveat.
Henrice, *ſalve multum, & optimè val*
Tecumqve Frater Carolus, *ſidus meum*
Uterqve, timidæ & portus optatus rati.

Scribebam Wittenbergæ ad d. VI. Novembris, Anno cIↃ IↃc XLIV.

XCV.

Chriſtiano Daumio, S. P.

Clariſſime Vir,

GRatiſſimæ mihi literæ tuæ non tantùm, ſed & munera, qvibus nihil elegantius & exoptatius venire poterat, fuerunt. Nec poſſum nunc pro meo affectu illo, qvô ingenium & eruditionem tuam jam ante etiam, ex qvo clareſcere illæ dotes tuæ publice cœperunt, complecti ſolitus, ſatis prolixas uberesqve dare ad te. Qvod eò deberem magis, niſi te eô animo eſſe conſiderem, ut ſtudium atqve amorem meum in te non tàm verborum copia, qvam affectione mentis æſtimandum putes. Macte igitur, DAUMI *Clariſſime*, egregiis iſtis naturæ juxta & indefeſſi ſtudii donis, & deinceps de literis noſtris ita perge mereri, ut pro oraculo habeas, *qvæ magnus ille noſter ac verè illuſtris Barthius* ad te ſcripſit. Nihil enim verius dici poterat; & mihi ſimilia in mentem venerunt, qvamprimum aſpicerem elegantiſſimum alias & eruditiſſimum libellum tuum. Pro qvo & cæteris, qvæ ſingulari comitate jungere voluiſti, ſingulares tibi ago & habeo gratias, te obteſtans plurimum, ut me deinceps qvoqve, & literis & munuſculis hujus generis iterum iterumqve exhilares. Qvò ſit, in qvo exulceratus animus calamitatibus patriæ qvietem & levamentum inveniat. Unum eſt, qvod te benevolè monitum velim, ut parcius laudes noſtras proſeqvaris deinceps, nec tam magnificè de re-

bus

bus noſtris ſentias, qvi ad literarum gloriam vix qvicqvam præter bonam voluntatem & ſtudium poſſumus afferre; qvæ ſi non reprehenduntur, abunde ad laudem ſatis eſt. Sed hoc amoris ſoliciti eſt, ut modum vix ſervet, & omnia neceſſaria putet. Vale & amantiſſimum tui Buchnerum, & omnia tibi cupientem, ubertim amare perge. Raptim ad vi. Id. Januarii, Anno cIↄ Iↄc xLv, qvem fauſtum feliceṁq; ominor tibi ac precor.

XCVI.

Johan. Georgio Styrcelio,

Conſuli Rotenburgico S. P.

QVàm me obſtrinxeris tibi, & obligâris, *AmpliſſimeVir*, dum humaniſſimè non tantùm ad meas reſpondes, ſed elegantiſſimis epigrammatis etiam honori noſtro velificaris, breviter & tralatitiè dici non poteſt. Qvantum enim eſt, à viro tantæ dignitatis, tantæ exiſtimationis & nominis apud doctos pleroſqve, amari non tantùm, ſed honorari etiam? Sed iſtud argumentum nunc non premam, neqve enim in iſta feſtinatione id ſatis licet. Id tantùm diſſimulandum non eſt, me hâc mirificâ comitate tuâ delectari & duci ſingulariter, ac fore mihi deinceps diligenter curæ, ne qvid in te officii, ſtudii, honorisqve omittere videar, cum id virtute tua nobiliter merearis. Pro lepidiſſimis tuis verſibus habe hæc inficeta noſtra interim; & cogita, duritiam temporum ſuam ingeniis qvoqve afflare labem. Qvæ utinam

exoptata pax maturè exhilaret, atqve, ut ita
cam, rurſus emolliat. Hæc ſola nempè
qvæ & literis cultum, & calamitatibus no
ſpem & meliorem fortunam reddere patriæ
teſt. Ab eruditiſſimo Bœclero ad unas &
ras meas nihil accepi reſponſi hactenus.
Raucheri noſtri ſvaviſſimas literas in dies
pemodum ſingulos exſpecto. Benè ſit tàm
ditis, tàm candidis animis! Benè etiam
Styrceli ampliſſime! præcipuè ſi amare me
ges deditiſſimum tibi, tuarumqve virtutum
tori, & feſtinatæ huic ac inornatæ ſcript
ignoſces. Wittenbergæ, pridie Kal. Mart.
no clↄ Ↄc XLV.

XCVII.

Chriſtiano Daumio, S.P.

Clariſſime & amiciſſime Daumi,

PAucis verbis ſcribo ad te, qvia pluribus
vacat, prolixô affectu tamen. Et qv
vis contingat, ut nihil ſcribam, tu tamen no
interpretabere, ac ſi te frigide & parum ſi
amem. Obeundæ ſunt lectiones publicæ p
tæqve in dies ſingulos: ſæpè apud Rectorem
ſe oportet, & Academicis negotiis vacare.
nunc de re domeſtica dicam? Qvæ cum in
fundisq; poſita ſit, qvantum impendendum
temporis & curæ, ne fructum impenſa ſup
De amicis taceo & ſalutatoribus, qvibus p
dandæ ſubindè ſunt bonæ horæ. Nec
de valetudine commemorabo, cum qva
ſemper ita convenit. Et jam ex graviſſim

penè letifero morbo, ut Nepotis verbô utar, vix convaleſcere licuit. Qvare veniam dabis, ſi aliqvando ſcribendi copia non ſit. Interim tu perſvadere tibi debes, nihil mihi prius amore tuô eſſe: qvam tibi & eruditiſſimis Muſis tuis ſanctum, incorruptũ, perpetuum ſervabo. Vale, & me ama, præſens carmen miti ſeveritate lege. Neqve enim ſemper ingenium in numerato habere licet. Iterũ vale, *mi clariſſime & amantiſſime Daumi*. Wittebergæ raptiſſimè, ad d. III. Junii Anno CIↃ IↃCXLV. XCVIII.

Johanni Meiſnero S. P.

ET tuæ, & qvas adjunxeras Salmaſii Heinſiiqve literæ redditæ ſunt. Qvas omnes gratiſſimum fuit accipere, tùm intelligere ex te de ſummorum virorum ſingulari benevolentia erga me ſtudioqve. Qvod qvanti faciendum ſit, ipſemet optimè intelligis. De Grotio autem qvid dicam? Qvi licet eas laudes, qvas in me contulit, cumqve affectum erga me, qvem viſus oſtendere, nulla ratione mereri me ultrô fatear; afficit tamen mirificè animum & adhuc titillat ſenſus, qvod tum ad te locutum literis tuis commemoras. Magnamqve apud me inires gratiam, ſi me doceres, qvid ille vir in Batavis egerit, qvò cogitarit atqve habuerit iter. Novellæ non ita pridem faciebant profectionis in Sveciam ab eo inſtitutæ mentionem. Verène & rectè, tu monebis. Niſi grave eſt, deſcribes qvoqve & mittes ad me, qvæ tuo albo inſeruit. Nam ut ex tuis conjicere licet, fecit ibi mei men-

tionem. Hactenùs ex febri continua atqv
maligna graviſſimè & periculoſiſſimè decubu
adeò ut multi mortuum prædicarent. Qva
vis autem divinâ ope ex morbo letifero expli
tus ſim, tamen mirus langvor, & ingens viriu
ſenſuumqve debilitas manet. Qvò factum
ut ad Salmaſium cæterosqve nihil in præſe
ſcribere, qvod volebas, potuerim: facturus
ubi diſperſas vires collegi denuò, atqve cu
corpore & ipſe animus habebit melius. In
rim omnes, Salmaſium, inqvam, Heinſium, B
hornium, multâ & officioſiſſimâ ſalute impe
es. De capta iterum Torga cum arce, item
de obitu M. Nollii accepiſſe te puto. Heri
ma inceſſit, Königsmarkii copias à Bavar
profligatas & fuſas: eaqve de cauſa militem
obſidione Magdeburgenſi deduci. A filio
apicem unum hactenùs vidi. N. qvi cum
locutus Hagæ, retulit, ſe accepiſſe qvidem ab
literas, ſed propter dilatam profectionem ſe
miſiſſe Hagam, ſi alia viâ citius perferri ad
poſſent. Idem ſignificavit, in Galliam jam m
liri iter, ibiqve hâc æſtate itemqve autun
parte reſtiturum. Qvæſo te, *mi Meiſnere*, v
lica aurem homini, & caſtiga ejus veternun
hortareqve, ut qvamprimum de rebus ſuis &
tionibus ad me perſcribat. Vale, & me am
perge, qvi ego te, qvamdiu ero. Wit-
tenbergæ, ad d. IV. Junii Anno
CIↃ IↃC XLV.

XC

XCIX.

Tobiæ Hauſconio S. P.

Clariſſime Vir,

QVod nec reſpondi hactenus, qvod debebam, nec tibi pro lepidiſſimo odarum munere egi gratias, ut par erat; primo per occupationes meas, deinde & valetudinem factum eſt, qvâ tam gravi paulò ante implicitus ſui, ut, qvòd nunc ſuperoqve ac vivo, non niſi beneficio DEI imputandum ſtatuam. Qvare hanc moram ne ægrè feras, nobisqve pro tua humanitate uti ignoſcas, etiam atqve etiam abs te peto. Sed de odarum libello, qvô me donare ſatis comiter voluiſti, næ ego te amo qvamplurimum. Nam ut Poëſeos primum & maximum munus eſt celebrare Deum, & inſervire religioni ac pietati; ita in nullo alio argumenti genere ingenium operamqve tuam occupare rectiùs nobiliusqve potuiſſes. Ad orationem, qvâ uſus, qvod eſt, etſi illa non in cothurnis ambulet, non elegantiâ tamen & venuſtate deſtituitur: eoqve majorem laudem habet, qvo ipſa ſimplicior & minùs grandis. Nam amat humilitatem pietas, nec ſeſe ea commendabiliorem DEO facit, qvàm cùm externi nitoris minus habet, & ab ſe exornata maximè eſt. De numeris autem qvid dicam? qvi illa rhythmicâ concinentiâ non ſanè ingrati auribus abblandiuntur. Qvod genus Poëſeos, etſi aut ignorarunt veteres, aut non probarunt magnoperè, ut minus grave; non aſpernan-

nandum tamen penitùs eſt: præcipuè, c im pietati inſervit. Qvare ſuperioribus qv qve ſeculis nonnulli pii & ſancti viri eô impri nis ſe delectârunt. Qvos qvò feliciùs æmu atus es, hoc commendandum ſtudium tuum m gis erit. Habes, qvid de libello tuo ſentiam: q ô qvòd donare me voluiſti, meritò tibi ago grat as. Non enim unô nomine me affecit & tenuit: eaqve de cauſa & plurimùm in præſenti debeo, & tibi debebo poſt deinceps; qvi & amplector virtutes tuas & tuis ſanctiſſimis Muſis ex animo faveo, nihil non facturus tuâ cauſâ. Ita crede & ita perſvade tibi, *mi optime atqve Clariſſime Hauſconi*, meqve perge amare. Wittebergæ ad d. XXVII. Junii, Anno recuperatæ gratiæ cIↄ Iↄc XLV.

C.

Chriſtiano Daumio S.P.

QVòd te moleſtum nobis fore literis tuis credis, error eſt: nam qvid jucundius iis acceptiusqve venire poſſit? At eas ipſas cùm inficetias vocas, modeſtè atqve urbanè loqveris qvidem; ſed magnam tamen iis injuriam facis, præ qvibus, qvid aliud temerè facetum magis ac elegans dari qveat? De Mantuano nihil hactenus conficere potui; qvòd Lyſerus primò Dreſdam, mox Lipſiam, & inde rurſus Dreſdam profectus ſit. Hodie rediturum ſperant ſui. Qvod ſi erit, nihil intercedet moræ, qvin ſedulò tibi de inpetrando Mantuano operam navem. Qvæ alea qvomodo nobis ceciderit, faxim

faxim ut qvamprimum intelligas. Strena tua qvàm grata nobis, qvàm exoptata acciderit, paucis dici non poteſt; qvâ & auctoris & edentis nomen tantoperè commendabant. De rebus autem, qvæ ibi tractantur, qvid dicam? Qvæ tàm divinæ, tàm ſalutiferæ, ut mereatur libellus geſtari in ſinu perpetuò ac volvi, nec legi tantùm, ſed ediſci totus. Qvare magnas, imò ingentes gratias ago, *Daumi Clariſſime*, qvod ejus non tantùm copiam nobis facere, ſed nòmine qvoqve noſtrô præſcribere voluiſti. Tenebis profectò me, *Daumi*, hoc tàm præclarô acſanctô pignore tibi obſtrictum perpetuò ac obligatum. Vale qvàm optimè, *mi Conjunctiſſime atqve Clariſſime Daumi*. Vale iterum, & me perge amare. Wittenbergæ, ad d. XXI. Febr. Anno CIↃ IↃC XLVI. raptiſſimè.

CI.

EIDEM.

Clariſſime Vir,

HOdiè *Vertumni* tui alia portiuncula reddita eſt ſimulqve ſchedion, in qvo petebas, ad proximas tuas ut reſponderem. Facio, ſed breviter, & qvantum in feſtinatione & aliis occupatus poteram. De Mantuani autem carminibus ſcias, Lyſerum, cum compellaſſem, aſſeruiſſe nobis, nec unqvam ſibi fuiſſe id libri, & planè neſcire, ubi invenire liceat. Vide igitur, qvâ tibi narraverint fide, qvi duos apud eum extare codices, in qvibus Mantuani opuſcula contine-

antur, perhibuerunt. Qvòd ſi aliter ſeſe habuiſſet res, dediſſem operam, ut tuum tibi deſiderium expleretur. Vale, *mi optime & Eruditiſſime Daumi*, meqve perge amare, qvi præproperè iſthæc ſcribebam ad VIII. Aqril. Annó cIↄ Iↄc XLVI.

CII.

EIDEM.

Clariſſime Vir,

QVam ante decem annos admodum *Diſſertationem de ſtylo* amicorum hortatu edidi, eam nunc nuper Thomas Bangius, Profeſſor Regius, vir clariſſimus amicusqve meus ſingularis, me imprudente, in Dania denuò excudendam curavit. Cujus exemplaria cum aliqvot haud ita pridem ad me permiſerit, unum nunc ad te qvoqve volui venire, ne qvid in amicitiam noſtram peccare videar. Iniqvus enim eſſem, ſi te noſtrorum exortem ſinerem, qvi tam liberaliter mecum elegantiſſima carmina tua hactenus communicare voluiſti. Qvod ut in poſterum qvoqve facias; has noſtras nugas autem in præſenti conſulas benè, etiam atqve etiam abs te peto. Vale. Rapt. ad d. XXI. Septemb. Anno cIↄ Iↄc XLVI.

CIII.

Generoſo Iuveni,

Nicolao à Gersdorff S.P.

Nobiliſſime Gersdorffi,

PErqvam mihi gratæ fuerunt literæ tuæ; ſed multò gratior affectus tuus in me, qvi eas tibi expreſſit. Neqve enim parvi æſtimo, à te, iis natalibus, eô ingeniô atqve virtute juvene, qvæ ſumma & maxima nobis promittunt, tantopere amari. Mihiqve curæ erit, ut huic amori tuo in me ſubindè creſcenti ſuppeditem cauſſas. Qvod fama tulit, venturum me Dreſdam; non vanus rumor fuit. Habeo enim Fribergæ negotium, cujus cauſâ profectiuncula inſtituenda eſt. Capeſſere tamen iſta ante haud licet, qvàm Decanatu abiero. Qvod ad Calendas Majas demum, ſi dederit Deus, futurum eſt. Qvare non niſi adultô Majô, aut jam præcipite me exſpectabis. Dn. M. Böhmium, & Dn. Brehmium, duo mihi cariſſima capita, meô peramanter nomine ut ſalutes, vehementer te rogo. De Heinſii epicediis ne unum apiculum ego hactenus vidi. Inceſſiſſe qvidem rumores Lipſiæ de morte ejus, ſed falſos, amici indè ad me perſcribunt. Et cum Dn. Leickerus ex Batavis nihil hactenus de eo ſignificaverit, à qvo paucis antè diebus literæ redditæ ſunt, eſſe adhuc & vivere ſummum virum, non tam ſpes mihi, qvam fiducia eſt. Nobiliſſima Soror tua enixa feliciter ſuperioribus ſeptimanis filiolum eſt, qvem inter alios ei

rei delectos de fonte ſuſcepi. Faxit Deus, ut adoleſcat feliciter,& multas magnasqve gratulandi cauſas parentibus nobiliſſimis ſuppeditet. Vale iterum, atqve cum hoſpite tuo iterum iterumqve ſalve,amor meus. Raptim, Wittenbergæ, ad d. IIX.Martii,Anno cIↃ IↃC XLVII.

CIV.

Generoſo atqve Magnifico VIRO,

HENRICO à FRISEN

S. P.

NEſcio prorſus, *NOBILISSIME DOMINE*, qvod me exagitet fatigenus, qvod me incumbere votis meis haud ſinit, & qvò invitat ac rapit animi impetus, inde invitum trahit ac reluctantem. Qvid dulcius foret ac exoptatius, qvàm totô animô evolare ad te, *ô Decus noſtrum*, omnemqve effundere affectum verbis, ac literarum officiô, cum ipſum amplecti reducem, & juſtâ gratulatione excipere coràm haud poſſim? præcipuè cùm certiorem me feceris haud tantùm de reditu tuo, ſed humaniſſimis qvoqve & multò ſvaviſſimis literis, iisqve geminis invitaris ad id, qvod ultrò facere debuiſſem. Nunc eo redigor,ut neqve pudorem meum tueri ſatis, nec indulgere gaudio, qvantum optabam,poſſim, qvi tardius non tantùm ad exoptatiſſimas tuas, ſed tàm jejune etiam ac breviter reſpondere habeo neceſſe. Nam cum priores tuæ afferrentur,aberam domô: & cum reverſo commodùm ſupervenirent alteræ, inſtabant

ſtabant feriæ: interim omne hactenus noſtrorum tabellariorum ceſſavit officium. Nunc autem cum datur ſcribendi copia, ita affligor deſtillationibus ac pituitâ, ut neqve ingenium reſpondeat, & manus ipſa ſtylum ægerrimè teneat. Qvid dicam, ô *Deſiderium noſtrum ac Amor*? ſi ſponte peccaſſem in te ſilendo hactenus, mereri ultro faterer hoc genus ſuppicii. Nunc mihi cum optimè conſcius ſim, qvod adverſetur fatum mihi, qvod votis meis me, & exoptato gaudii fructu non ſinit frui, ſatis opinor dixi cauſæ, cur, ex qvo rediiſti, nondum ad tuas reſponderim: at nullas antè qvod ad te dederim, ideò factum, qvòd, ubi ageres, cum ignariſſimis ſciverim. Teſtis mihi CAROLUS tuus, vir nobiliſſimus, erit, ſemel ac iterum me petiiſſe ab eo officioſiſſimè, ut me doceret, qvid & ubi locorum ageres, utqve valeres. Qvi nihi ejus cum affirmaret ſe ſatis certè poſſe perſcribere, qvas exararem ipſe literas, aut exaratas qvo deſtinarem? Facile admittes juſtiſſimam excuſationem, NOBILISSIME FRISI, & noſtrum ſilentium, non ſocordiam, aut frigus aut oblivionem officii; ſed fatum & neceſſitatem interpretabere; planiſſimè perſvaſus, me voluiſſe ſcribere, non potuiſſe. Placebo autem in poſterum, ſi hanc, qvantumvis alienam culpam, me emendaſſe permiſeris: qvi vel iliadas nugarum deinceps ad te permittam. Nunc omni affectu animi, primum de novâ conjuge, de cujus dotibus virtutibusqve egregia omnia, qvod impenſiſſime lætor, prædicantur & ſumma: deinde

inde de reditu tuo felici, & reddito tibi chariſſimorum affectuum amplexu gratulor, Deumqve immortalem veneror, ut tibi, perpetuum propriumqve hoc gaudium faciat, & tu inpoſterum me ſic ames ſemper ac complectaris, ut conſvevisti hactenus, & nunc ubertim teſtatus literis es: qvi te viciſſim amare, colere, venerari non antè deſinam, qvàm ipſe eſſe deſiero atqve vivere, niſi, qvod Poëta ait, *& fati tranſit littora magnus amor*. Vale. Dabam Wittenbergæ, ad d. VII. April. Anno cIↃ IↃcXLIIX.

P. S. NOBILISSIMUS JUVENIS *NICOLAUS à GERSDORFF, qvi mecum eſt, dici non poteſt, qvam te mirificè ob excellentiſſimas animi atqve ingenii dotes amet, miretur, & in exemplum ſibi proponat aſſiduè. Qvem ejus affectum nunc tibi inſinuare volui, ut ſcires, non indignum amore tuô, ſi qvod nunc mediatur, veretur tamen per modeſtiam, te ad amandum literis invitet.*

CV.

EIDEM S. P.

MErebantur proximæ tuæ literæ humanitatis prolixiſſimæ plenæ æqvè prolixam reſponſionem; ſed qvam hoc tempus noſtrum nobis minimè concedit. Et tu illius ſapientiæ es, ut animum cujusqve non ex verbis, ſed ex affectu æſtimare ſoleas, & ei dare animum, non qvi loqvatur qvàm plurima, ſed qvi plurimum amet.

amet. In qva re erga te nulli unqvam mortalium ceſſerim. Nunc abs te vehementer peto, ut tàm benevolum tuum erga me, qvin tam amantem mei animum perpetuò ſerves, & ita tibi perſvadeas, non eſſe temere, qvi incomparabiles animi atqve ingenii tui dotes virtutesqve ampliſſimas candidius atqve ſincerius æſtimet, qvam Buchnerus tuus. Qvi ſe felicem ac beatum tamdiu ſtatuet, qvamdiu ſe tibi poterit probare. Qvare qvid tibi videatur de oratione noſtra, cujus duo ad te permitto exemplaria, qvæ æqvi boniqve conſules, qvàm benè prudenterve dixerim, & in hoc argumenti genere fuerim verſatus, plenè & candidè perſcribes. Scio qvàm periculoſæ aleæ opus ſit de principibus atqve ad principes ſcribere. Nec dubito, qvin multa ſint, ubi impegerim: multa, qvæ malevoli aut imperiti interpretaturi ſiniſtrè ſint. Eam ob rem etiam atqve etiam te rogo, HENRICE, ut patronus ei, ubi ubi opus fuerit, aſſiſtas. Qvi & veriſſimè judicare de talibus potes, tantâ eruditione literarum & omnis doctrinæ copiâ inſtructus; & excuſare non malo animo commiſſa, tanta humanitate. DEUS te ſervet, *Generoſe Domine*, teqve & tuam brevi exoptatiſſima ſobole exhilaret, ut per te virtutumqve tuarum gloriam non amplificetur modò FRISIORUM nomen illuſtre ac decus, ſed genus atqve familia etiam acceſſionibus nobiliſſimis augeatur. Vale. Raptiſſimè ad d. XIV. Julii Anno CIƆ IƆC XLVIII.

CVI.

CVI.

Eidem S. P.

CUm meam profectionem ac iter, qvod Dreſdam ſuſcepi non ita pridem; ob alias cauſas, tum ob hanc maximè non auſpicatum ſatis ac lætum habui, qvòd exoptatiſſimô tuô amplexu non licuit frui. Cùm veniſſem Dreſdam, non reperi domi, cujus compellandi cauſâ maximè eram profectus. Altero ſtatim igitur die Miſenam, & inde Fribergam abii. Sed neqve hic explicare negotia potui, qvæ ibi habebam. Reverſo in urbem, copia qvidem hominis, qvi cauſſam itineri dederat, data fuit; ſed numulum unum auferre non licuit, cum tamen ſupra C imperiales deberet, & ineunti Septembri menſe ſe ſoluturum dediſſet fidem. Interim facta aliqvâ ſpe, cum nihil videretur reſtare, qvam ſalutatis patronis atqve amicis maturè capeſſere reditum, ne diuturniore abſentiâ affligerem domi familiam, ſeriò in id incubui: ſed ante omnia navavi operam, ut obſervantiam meam ac ſtudium tibi probarem. Cùm igitur ſemel ac iterum mitterem, qvi adeundi opportunitatem ac tempus ſciſcitaretur, idem reſponſi retuli ſemper, *Herum domi haud eſſe.* Ac primò qvidem apud Generoſ. Dn. WERTHERUM; deinde apud Dn. HANOVIUM; deniqve neſcio apud qvem alium è proceribus, agere diceba-ris. Interim navem Wittenbergenſem nactus, ſed ſoluturâ ipſô illô momento, deſperatâ commodiore occaſione redeundi, conſcendi, ægerrimè

tamen

men, qvod ſic neceſſitas abeundi imponeretur antè, qvàm tuo aſpectu, tuo deſideratiſſimô alloqviô, ſi non explere, at recreare tamen atqve reficere animum licuerit. Qvod ut aſperrimum perpeſſu erat, ita non ſemel apud amicos hactenùs de illa infelicitate mea qveſtus ſum: nunc autem id jure qvodam apud te, GENEROSE DOMINE, & qvâdam adductus neceſſitate facio, ne, ſi reſcieris, fuiſſe me Dreſdæ, & te inſalutato diſceſſiſſe, neſcio qvid ſuſpicionis ſiniſtræ animo tuo incidat. Ac plurimum licet conſtantiſſimi tui affectus in me non levis fiducia erigat animum ac firmet, non omni tamen timore ac ſolicitudine vacuus eſt: & ſemper habet, qvod cum fortuna rixetur hoc nomine, qvòd vota mea ac ſpes tàm flagitioſè deſeruit, imò dejecit. Nec qvicqvam alienum tuâ humanitate, NOBILISSIME HENRICE, facies, ſi mecum doleas hanc meam vicem, & omnem in Cœcæ illius levitatem liberè evomas bilem. Non qvòd tanti ſit te, caruiſſe Buchneri aſpectu; ſed qvod in tuo felicem me reddere neqviviſti. Vale, & devotiſſimum tuo illuſtri nomini virtutiqve perge amare. Wittenbergæ v. Kal. Novembr. Anno cIↃ IↃcXLVIII.

CVII.

M. Jacobo Thomaſio S. P.

Præſtantiſſime atqve Eximie Vir, amice honorande.

QVod declamatiunculas illas meas, qvas edidi nuper, tanti putâſti, ut in ſermonem

patrium verteres, ago gratias, & tuum in me affectum æſtimo, ita ut decet. Eum enim cum in ipſo illo vertendi labore, tùm literis etiam elegantiſſimis illis & eruditiſſimis uberiùs declarâſti. Perge ita, mi THOMASI, perge amare, inqvam, & redamantem & plurimum meritò tribuentem ingenio tuo & elegantiſſimæ eruditioni. Ad verſionem autem ipſam qvod attinet, mirè illa placuit, ac in pleriſq; ſatisfecit. Itaqve qvæ interſcripſi, eò maximè pertinent, ut ſcias, in perlegendis paginis tuis operâ poſuiſſe. Illud: *aut ſatisfacientem abſolvet* rectè accepiſti; benè vertiſti. *Augurale* autem non de veſte accepi, ſed de loco: ad pegma ferale reſpiciens, id qvo ſupremus admotus rex fuit. Erat enim AUGURALE (*ita Tacitus II. annal. cap. XIII. vocat*) in caſtris Romanis ad dextram Prætorii, ubi Duces auſpicabantur, atqve ex pullis captabant auguria: Græci *οἰωνιστήριον*, alii ex Latinis AUGURACULUM, Hyginus, cujus verba Lipſius ad Tacitum profert, AUGURATORIUM appellavit. Eum itaqve locum paulò aliter reddes. Verſa illa ex Belgico de Anglicis moribus folia, qvibus verſionem tuam hanc jungere placuit, libenter vellem perlegere. Itaqve qvàm primum abſolutum prælo opuſculum fuerit, ut unum alterumqve exemplar (ut & cum amicis communicem) ad me permittas, etiam atqve etiam petò. Qvos ſumtus feceris, bonâ fide rependam. Vale. Raptiſſimè, ad d. XXV. Aprilis, Anno CIↃ IↃC XLIX.

CVIII.

CVIII.

EIDEM S.P.

NOndum, *Clariſſime mi M. THOMASI*, pro divortio Anglico egi gratias, cum interim tu novâ me ornas liberalitate, Seſqviſeculô Anglicano me donans. Oneras profectò pudorem meum & eò me adigis, ut ultrò humanitate tuâ, imò benignitate victum profitear. Qvod ſi potius videbitur, qvàm accuratiſſimas tibi ſi gratias dixerim, non qverar de importunitate negotiorum, qvibus factum, ut nondum licuerit me officio fungi. Non poſſum autem non approbare operam ſtudiumqve in Seſqviſeculo navata. Cujus cæteras dotes ipſa celeritas etiam commendat. Nam feſtinare & dare egregia tamen, non niſi præclaris præſtantibusqve ingeniis datum. Cujusmodi tuum eſſe, & documento abundè ſunt, cùm literæ tuæ, cùm lucubrationes ipſæ, qvas permiſiſti; & qvæ de tua fratrisqve eximiâ indole non ita pridem ETTRINGIUS noſter in familiari ſermone retulit. Qvo nomine patriæ literisqve bonis gratulor; & utriusqve bono te ſupereſſe qvàm diutiſſime, & inter ſeculi noſtri clariſſima decora florere deinceps voveoqve ac opto. Ac ſi me ipſum qvoqve propitium Numen durare voluerit longiùs, & colere in terris, nihil gratius dulciusqve amore tuo erit in me. Eâqve ex re non voluptatem modò, ſed laudem etiam petam. Nam ut juſtiſſimum eſt, complecti egregias & nihil minus qvàm plebejas animas: ita ab iisdem amari & coli, honorem affert. Valè, a-

mantiſſimeTHOMASI,& perſvaſiſſimum habe, me ſedulo ſemper facturum omnia,qvæ tibi honori aut commodo fore videantur. Raptim, Wittenbergæ, ad d.XIII.Junii, Ann.cIↄ IↄcXLIX.

CIX.

G. E. à Gersdorff, S.P.

ET hæſitare igitur ac dubitare potuiſti, NOBILISSIME GERSDORFI, ſcriberesne ad me, an potius reprimeres impetum, qvem non ignorabas & devinctiſſimum tibi haud unô nomine,& tot clariſſimarum animi atq; ingenii dotium,qvibus ornatus affatim es, qvàm amantiſſimum & ſtudioſiſſimum eſſe? Cave autem putare ut velis, hoc genus modeſtiæne dicam,an metûs,aut tuæ perſonæ, aut tuo in me affectui ſtudioqve congruere. Nam qvò nobilior qvisqve eſt, hoc magis confidit: &, ſi Poëtam veterem tibi audiendum putas,

Amor miſceri cum timore non poteſt.

Qvem prævalere ſi voluiſſes, Deus bone! qvô gaudiô, qvâ voluptate me iviſſes privatum? Ita enim felix ſim,ut literis tuis nihil jucundius nihilqve exoptatius contingere potuit. Eamqve ob cauſam vehementer te rogo, ut eas qvàm ſæpiſſimè mihi impertias; cùm nullæ unqvam venturæ ſint,qvin me mirifice recreaturæ & ſingulari lætitiâ qvâdam ſint perfuſuræ. De Generoſiſſimo â LÖBEN næ ego vehementer mihi gratulor, occaſionem probandi officii tanto viro me inveniſſe. Jamdiu enim eſt,qvod excellentiſſimæ ejus virtutes innotuerint mihi, & nihil

nihil magis optaverim, qvam viri ingentis benevolentiam demereri. Qvapropter diligentiſſimam operam dedi, ut ex Scholaſtica noſtra pube deligeretur, qvi nobiliſſimis liberis ejus cum fructu præfici poſſet. Ac licet magna eorum freqventia copiaqve haud ſit, qvi aut velint aut rectè poſſint in iſtam mitti provinciam: videor tamen reperiſſe, cui non male committi poſſe hoc munus videatur. Is eſt *Johannes Joachimus Linkius, Svvinfurto Francus*, concinnâ & eleganti facie corporis, & qvaſi XXIV. annorum Juvenis. Qvi cum jam olim erudiendis ingenuis pueris dederit operam, & Generoſiſſimi Domini Baronis TRAUTSCHII liberis unum ac alterum annum præfectus fuerit, eò magis idoneus ad capeſſandas has partes rectè viſus eſt, qvòd eo non eruditionem tantùm atqve doctrinam, ſed uſum qvoqve atqve inſtituendi peritiam afferat, cum pari venuſtate morum conjunctam. Ipſa enim illa cum elegantioribus hominibus conſvetudo, qva uſus, incivilem & ruſticum amplius eſſe haud ſivit: præcipuè qvum amœniore qvadam & cultiore indole ipſum ornaſſe videatur natura. Seqvetùrqve libenter, qvamprimum inveniſſe imperabitis; promtius atqve alacrius tamen, ſi de ſalarii modo & formula ipſi conſtiterit plenius. De qvo ſi me, aut nobiliſſimum fratrem condocefacies, rem ſpero habebimus factam. Qvod reſtat, etiam atqve etiam abs te, *Nobiliſſime Gersdorffi*, peto, ut Generoſiſſimo Dn. Capitaneo, qvâ fide ac diligentia poteris, me com-

mendes. In cujus gratiæ ſpem nihil negotii aut operæ me unqvam defugiturum, ſanctè ſpondeo atqve promitto. Vale, Nobiliſſime Domine,& mihi favere ne deſine. Scribebam Wittenb. ad d. IX. Januarii, Anno CIƆ IƆC XLIX. qvem tibi tuisqve ex omni parte felicem ominor ac fauſtum.

CX.

Generoſo atqve Magnifico VIRO

HENRICO à FRISEN

S. P.

NOn te non colo ac veneror, HENRICE: Silui tamen; idqve ſuccenſeas fortè, neqve immerito. Sed neqve ſemper loqvuntur, idem in DEO qvi faciunt. Qvorum tamen non minor ſæpius pietas, qvam qvi vel diſertiſſimas preces ſubindè allegant. Eſt & tacita animorum veneratio: nec qvo plus loqvitur aliqvis, eò prolixiùs ſemper & amat. Dulce eſt qvidem, ſua ſi oculis qvoqve ſolatia haut deſint, qvæ inter abſentes præſtare optimè literæ ſolent; veriſſima tamen affectuum pignora intra animos ipſos manent, qvos verba & voces pingere qvidem, non addere qvicqvam ex vero iis aut demere poſſunt. Qvare & veneratio muta officium faciet, clarius tamen jucundiusqve, qvæ loqvitur. Qvod ſolum admiſi culpæ & deprecor nunc, ſimulqve emendo. Neqve non dabis veniam, in qvo ex æqvo & ſumma virtus & ſumma humanitas æqvitasqve eſt. Cujus

tan-

tantam fiduciam habeo, ut cæterorum ſecurus, vel beneficium audeam petere. Gener meus, *Henricus Coſelius* J.U.D. ejusqve facultatis Aſſeſſor, nec non Electoralis, qvæ hic eſt, Curiæ Advocatus ordinarius Profeſſionem publicam ambit, qvam properum & inopinatum *D. Wackii* fatum non ita pridem vacuam fecit. Affectat eandem & N. à Socero N. cum morti proximus eſſet, Sereniſſimo Electori commendatus. Et impetraſſet, ut audio, Soceri meritis, ni Præſes METSCHIUS monuiſſet, Academiæ Judicium antè, qvàm ſtatueretur, expectandum eſſe. Qvo accidit, ut totum negotium ad ſecretum Conſilium Principis rejectum fuerit. Magna verò in eo Magnifici & Generoſi Parentis tui auctoritas eſt. Qvi ſicut tibi plurimum merito tribuit; ſic apud eundem & plurimum potes. Ei igitur pro ſingulari illâ affectione tuâ in me, de qvâ tot annis experimentis mihi clariſſimis conſtat, ut Generum meum (qvi, ſi ignoſcere libertati meæ poteris, multis nominibus præferendus N. eſt) benignè ac gratioſè commendes, etiam atqve etiam abs te, HENRICE NOBILISSIME, peto. Nam ſi à noſtris partibus Illuſtris Cancellarius ſtabit, (qvod per te maximè futurum ſpero) rem factam habebimus: & cæterorum, qvi neqve ipſi malè cupere videntur, ſuffragia facilè tanta auctoritas trahet. Non erit ingratum, parare tibi hunc novum clientem: meqve in Genero tibi magis magisqve obligare. De CAROLI Britanniarum Regis fato, qvæ commentus non ita pridem per ani-

mi impetum ſum, vidiſti jam antè, opinor. Sed nunc exemplar volui mittere, ut tuum judicium atqve cenſuram elicerem. *Philoſophorum de Fato ſententias* à ſummo Viro HUGONE GROTIO collectas; itemqve *Epiſtolas ejus ad Gallos*, qvæ opuſcula ſuperiore anno edita ſunt, fortè jam habes. Qvi nuper à Batavis rediere, affirmant, *Epiſtolas ejus ad Belgas* qvoqve vulgatas typis. Sed exemplaria hîc nulla ſunt. Neqve de iis qvicqvam bibliopolis noſtris conſtat. HEINSIUS rude donatus eſt: ejus partes BOXHORNIO demandatæ: Qvarum auſpicia oratione dedicavit, qvam non ita pridem miſit ad me, & aliam de *pace* inter *Hiſpaniarum Regem & fœderatas provincias Belgii* initâ. Ego verò felix beatusqve mihi videbor, ſi te, HENRICE NOBILISSIME, ſi exoptatiſſimam conjugem tuam, & veſtros omnes, & nunc, & ſemper impoſterum, ut opto aſſiduè, ſoſpites juxta & rebus omnibus audiam ex animi voto florentes. Vale, & ſolitò me favore benevolentiaqve complectere: in qvo me omnia conſecutum usqve putabo. Wittebergæ; ad XVII. Kal. Qvinctil. Anno ⅭⅠƆ ⅠƆCXLIX.

CXI.

Præſtantiſſimo juveni

Davidi Schellhammero,

S. P.

De triplici Imperatoris Romano-Germanici coronâ, qvarum aliam auream, argenteam aliam,

aliam, & tertiam ferream tradidere, non vana prorſum exiſtimanda, qvæ apud auctores legimus. Certis enim luculentis teſtimoniis res nititur. Id autem multo vaniſſimum eſt credere, nullam earum non ex auro fuiſſe conflatam. Qvamvis enim alia ferrea, alia argentea diceretur, id tamen haud ideò fiebat, qvòd tales eſſent reverà, ſed qvod per figuram qvandam vocarentur tales, ad denotandum diſcrimen, qvô alia aliam videbatur excellere. Qvamvis enim aureæ omnes eſſent, vocabatur tamen ea tantùm, qvam Romæ accipiebat Imperator, propter Imperii Romani excellentiam, qvæ cætera regna perindè prominet, ſicut in metallis qvoqve locum principem aurum tenet. Prorò ut auro argentum proximum eſt, ita Imperio ipſi ſecundum eſt Germanicum regnum, qvod Franci primum inſtituerunt. Ex eâ ratione igitur hujus corona, qvæ Aqvisgrani accipiebatur, (ibi enim ſedem principalem Francorum regni conſtituit Carolus, qvod diſertè tradit Gottfridus Viterbienſis *Chron. parte XVII, in Annum DCCCXII.* & aſtipulatur Regino l. II. *Chronicorum*, itemqve Witichindus Corbeienſis *Annal. II. princip.*) argentea, ut puto, appellabatur. Jam qvia Longobardorum regnum, ſeu Italicum, inferius exiſtimabatur Francorum, ſive Germanico, idcirco ejus coronam ferream appellatam cenſuerim. Fortè tamen & eam ob cauſam, qvod hanc coronam, ſive hoc regnum tueri durum atqve difficile eſſet, & haud temere ſine ferro, ſive armata vi teneri poſſet. Teſtimo-

monio ſunt tot turbæ & perduelliones, qvas contra imperatores noſtros Itali ſubindè movecrunt. Hæc Modœciæ, ut Viterbienſis auctor eſt, (Leopoldus de Bebenburg villam Modicenſem vocat) ſive, ut alii tradunt, Mediolani, qvæ Longobardici regni regia, imponebatur Imperatori. Non fugiunt, qvæ de his trinis coronis Hieronymus Balbus Epiſcopus Gurcenſis, in libro *de Coronatione*, ad Carolum V. & alii tradidere. Sed hæc, ut mihi videtur, ſimpliciſſima veriſſimaq; explicatio eſt, cum qva conſentit Leopoldus de Bebenburg, *Tractatu de juribus regni & imperii Rom. cap. X.* qvàm à Frehero illuſtratum notis ante hos viginti & qvod excurrit annos, Matthias Berneggerus edidit: itemqve Onuphrius Panvinius omnis antiqvitatis periſſimus, peculiari *de comitiis Imperatoriis libro cap. XI.* De confœderationibus novis qvæ ſcriptitas, cum magno dolore didici. Ex affecto liene itemqve calculi morbo peſſimè laboravi hactenùs, multis magnisqve doloribus excruciatus. Nunc videor cum valetudine redire in gratiam. Sed qvia morbi vis in pedem ſiniſtrum invaluit, qvem fœdè tumentem cùm nondum calcare licet, plane cum ea reconciliatus nondum ſum. Qvod etiam brevi futurum confido. Qvæ ideò ſignificare volui, ne tardiuſculæ reſponſioni ſuccenſeres. Vale.

Raptim, Wittenbergæ ad d. XXII.
Decemb. cIɔ Iɔc XLIX.

CXII.

CXII.

JOHANNI FRANCO,

Civit. Guben. Senatori, S. P.

Clariſſime & Prudentiſſime Vir,

RECte mihi & literæ tuæ & Poëmata reddita ſunt: qvibus nihil mihi gratius potuiſſet accidere. Significabant affectum tuum erga me literæ: cæterum nihil jucundius, qvam à doctis & claris viris amari. At vero Poëmata tua qvalia? Qvibus nec ipſæ Muſæ Muſicæ magis. Ita dictionis venuſtate, & inventionum præſtantiâ ſe approbabant. Ut de ſe jure poſſent jactare, bvod *Flaccus* olim de ſe:

Odi prophanum vulgus & arceo.

Qvare multum debebit tibi patria, ſi cætera etiam, qvæ habes in ſcriniis, depromas. Me certè eorum lectio vehementer tenebit ac telectabit. Proxima aut inſeqventi ſeptimanâ, ſi Deus volet, Dreſdam proficiſci decretum penè eſt. Tùm apud Ampliſſ. Dn. Reichbrotium cauſſam tuam ſedulò egam. Qvanqvam neſcio, ecqvâ potiſſimùm in re ipſius opera tibi ſit uſus. Si qvæ igitur ſignificantius me ſcire velis, vel huc, vel Dreſdam dabis literas. Qvod ſi Dreſdam velis, eas ad Dn. Bartholomæum Praſſerum, vel ad Dn. Martinum Taubeneſt Secretarium perferendas curabis. De fide & ſtudio meo ut tibi ſatisfaciam, ſedulò ſanè elaborabo. Hæc in præſenti ſcribere potui. Nam de mittendi occaſione tum demum monitus fui, cum abeundum tabellario eſſet. Malui itaqve

hæc

hæc incondita illinere chartæ, qvàm planè ſilere, & ita ſuſpicionem injicere tibi vel negligentiæ atqve inertiæ, vel ſupercilii ac faſtûs. Qvod genus vitii ſemper, qvantum fieri poteſt, dedeſtatus ſum. Vale, Clariſſime Vir, & amantiſſimum ac ſtudioſiſſimum tui amare me perge. Raptiſſimè, VI. Non. Maji, An. CIↃ IↃCL.

CXIII.

Generoſo atqve Magnifico Domino,

HENRICO à FRISEN
S. P.

NEſcio ſanè, fretumne tuâ facilitate an me abuſum potius dixerim, qvòd ſilui hactenus haud tantùm; Sed CAMPANELLAM etiam tuum tam diu apud me, & te invito fortaſſis, deſidere paſſus ſum. Qvem diſputantem qvidem contra Atheos (nam præcipientem de ineundâ ſtudiorum ratione adhuc, utinam cum bonâ tuâ veniâ, retineo, qvòd tardior in deſcribendo manus nondum abſolvit) cum mitto ad te, ut tanto avidius complectaris, rogo, qvantò diutiùs, & præter ſpem tuam hactenus abfuit. Mihi qvoqve liberaliter ignoſces ſilenti tamdiu, cùm recordabere, non animum & voluntatem, ſed facultatem & otium defuiſſe ſcribendi. Ad Generoſum Dn. WERTHERUM paulò poſt, qvàm domum eſſem reverſus, perſcripſi diligenter omnia, qvæ in mandatis præſenti dederas. Sed nihil dum accepi reſponſi.

Car-

Carmen, qvod in novam Bullionæi ejus editionem commentus ſcripſi, junxi literis, ut ejus dolere vicem poſſes, cujus egregius labor tam malô carmine dehoneſtetur Sed voluntati petentis ſatisfaciendum erat; & nobis meliorum copia haud ſuppetebat. Addidi epigramma etiam, qvod his diebus deambulanti excidit, ad Dominum VOIGTIUM Secretarium mittendum brevi: qvi diſceſſurus proximè Sereniſſimi Principis ſui nomine torqvem aureum, cum imagine ejus recepit. Eò enim id pertinet; ſed nullis acuminibus inſigne, qvæ propria aliàs epigrammatum laus. Videbaturqve hìc ſtimulo aliqvo cum maximè eſſe opus, qvi viro optimo ſomnum non pateretur obrepere. Sed efficaſſimè omnium ſingularis tua erga me benevolentia vigilias etiam ejus excitabit. Qvæ tamen ita interpretaberis, non qvod meritis meis aliqvid tribuam; nulla enim ſunt; ſed qvia ad opinionem & exiſtimationem Principis optimi pertinet, hinc innoteſcere etiam, in cæteris maximis laudibus, hanc qvoqve deberi ei, qvò bonas literas æſtimet. Qvanqvam enim illarum ſcientiam arrogare mihi non poſſum, amorem & ſtudiũ tamen adimi mihi haud ſinam. De juvene aliqvo non ignaro Mathematicarum artium, & qvi in Græcis literis aliqvid faceret, te nuper qvoqve locutum mecum nondum dememini. Qvod ad Græcam qvidem Literaturam attinet, poſſum hoc nomine commendare tibi domeſticum meum Joſuam Arndium, Mechelburgicum: hominem neqve

abſur-

abſurdi ingenii, neqve nullius in melioribus literis profectus. Teſtimonio tibi libelli erunt, qvos edidit, & eà mitto de cauſâ, ut videas, qvid tibi de eo ſit ſentiendum. Videor mihi eò adducere poſſe hominem, ut in familiam tuam, ſi velis, ad tempus commigret. Sed ego præcepta tua exſpecto. Ut Generoſo Dn. Parenti; nec non Præfecto Cameræ Dn. WERTHERO; cùm Domino RECHENBERGIO etiam me commendes, vehementer abs te & officioſiſſimè petoqve ac oro. Vale, *Patriæ Sidus, Nobilitatis Sol, meum Præſidium & Decus dulce*, Wittenbergæ ad d. IX. Martii, An. cIↃ IↃCLI.

CXIV.

HENRICO à FRISEN S. P.

Illuſtris Domine,

NOn poſſum differre gaudium meum profiteri ad te, qvod cepi nuper, cum auſpicatiſſimus nuncius, te in Conſilium illud ſanctius allectum à Principe & cooptatum, perferret. Gratulor itaqve *Tibi*, (utrum & *mibi*? imò vel maximè etiam) gratulor *literis*, *Principi* deniqve, atqve communi *Patriæ* vehementer. *Tibi*, qvod tandem in locum eum evectus ſis, qvem tuâ virtute & ſapientiâ incomparabili diu antè merueras. *Literis*, qvod Literatiſſimum Patronum nactæ, nunc vitam ac ſpiritum te animante recipere ſperent. *Patriæ Principiqve*

qvòd

qvòd eum elegit,qvi non intelligat tantùm, qvæ ad tuendam majeſtatem, qvæ procurandis publicis commodis veriſſime faciant; ſed optimè etiam & ſapientiſſimè conſultis qvi facta conjungat, & factis ipſis magnum integritatis & innocentiæ exemplum commodet. *Mihi* verò ſenectus mea deinceps hoc minus moleſtiæ atq; timoris afferet,qvò magis ſecuræ ac hilari præſidio tuo ac patrocinió ipſi eſſe licebit. Deus te ſervet: Deus te fortem & hilarem privatim, publicè, perpetuo præſtet, *Patrone!* Wittenbergæ, IIX. Idus April. Anno Iↄc Iↄcli.

CXV.

HENRICO à FRISEN S. P.

Illuſtris Vir,

QVod citius factum oportuit, ſi edoctus fuiſſem in tempore, nunc cognito tardius, tardiùs qvidem, eâdē pietate tamen facio, atq; de natâ filiola, & tibi & generoſiſſimæ tuæ uxori gratulor,eamqve in id faſtigii adoleſcere precor,in qvod eniti mulieris natæ maxima virtus, & fortuna etiam poteſt. Jucundius qvidem & exoptatius fuerat prolem maſculam tollere, in qva duraret ſtirpis honor, & conſervaretur paterni nominis gloria; nonnulli voluptati tamen eſt, videre filias,qvæ jungant affinitate patri generos maximos,eosqve edant liberos deinde,qvi & parentibus ſimiles ſint, & laudis avitæ decora æqvent. Qvod ſi benignitate

Superûm tibi licebit contingere, nec deteriores poſt paullo ſuſcipere filios; vix ultrà poterit tua aſcendere felicitas. Nam qvis perfectius exemplum aut ingenerare valebit ſuis, aut dare? Hoc itaqve ut prolixiſſimè tibi contingat, & ingens, qvod Pater in te, & tibi ſimili fratre conſeqvutus eſt, ipſe non minus felicitatis genus conſeqvare exemplumqve uberrimum edas, qvantum fieri poteſt, opto & precor. Vale, *Decus noſtrum atqve Præſidium.* Scribebam Wittemb. ſumma feſtinatione, cui ignoſces, ad d. XXI. Julii, Anno cIↄ Iↄc LI.

CXVI.

HENRICO à FRISEN S. P.

Illuſtris Vir,

QVòd ratio, ſicut petebam, NERGERI noſtri habita maximè, eiqve collata provincia, qvam ambiebat, eſt, non interceſſioni aut ulli merito meo tribuo; ſed humanitati atqve benevolentiæ veſtræ totum aſſcribo. Lætor tamen vehementer, & eô nomine tibi, HENRICE *Generoſiſſime*, ſummas & ſingulares habeo gratias, qvi neqve ipſe defueris ſtudiô tuô homini optimo, & ut eidem faverent collegæ tui ampliſſimi (ita enim interpretor rem) effeciſti. Nec te pigebit, ſpero, navati ſtudii: & ut in eo tibi poſſis placere, aſſiduam ſedulamqve operam NERGERUS dabit. Nunc abs te rurſus, qvàm poteſt fieri, reverenter peto, ut

Docto-

Doctorem GODOFREDUM SCHNEIDERUM noſtrum admittas benigne, optantem mirificè cultum & venerationem, qvâ tuas admirari virtutes & colere ſolet, teſtari coràm & res ac ſtudia ſua tibi commendare. Qvi cum ſe ita dederit juri, ut manſvetiores noſtras etiam amaret Muſas ac coleret; facilè, ſpero, probabit ſe tibi, tanto earum Patrono haud tantùm, verùm & Myſtæ. Qvippe qvi ſacra omnia earum qvàm ſcientiſſimè calles. Vale, *Tutela noſtra, & decus noſtrum*, perpetuo ſoſpes ac felix. Wittenbergæ, ad d. XVII. Auguſti, Anno CIƆ IƆC LI.

CXVII.

Nicolao à Gersdorff S.P.

Generoſe ac Nobiliſſime Domine

GERSDORFFI,

MAgnâ ſolicitudine affectus hactenùs, & excruciatus propemodum fui, qvod nihil omninò literarum abs te acciperem. Noſti maximum qvemqve amorem cum pari metu conjunctum: timorem verò eô ingeniô eſſe, ut in deteriora plerumqve inclinet. Hinc mihimet ipſi finxi, nunc gravi morbo cubare implicitum; nunc incidiſſe in alium caſum, qvi tibi ſilentii neceſſitatem imponeret. Et qvamvis perſvadere mihi nunqvam potui ſatis, de tàm fideli & candido tuo pectore amorem noſtri deceſſiſſe: diffiteri tamen non poſſum, incidiſſe qvandoqve ſuſpicionem hujusmodi, ſed mox

ex moribus animi tui refutandam. Qvare dici non poteſt, qvanto me opere affecerint tuæ, & exhilararint, cùm mihi nuperè rederentur. Ex iis enim cùm intelligerem, & te valere optimè, & ſatis bene habere tuas res, & veterem tibi in me abundantiſſime conſtare affectum, facilè vides, unô illô alloqviô ſedatos confeſtim æſtus omnes, & animum noſtrum, tot liberatum timoribus, ſolidâ voluptate captum mirificè ac delenitum fuiſſe. Multum itaqve te amo, *mi Nobiliſſime* GERSDORFFI, ut me hujusmodi gaudiis recreare ſubinde velis. Qvi ita tot tuas præclaras virtutes, dotesqve eximias & amo ac æſtimo, ut tuo conſpectu frui ſemper, teqve perpetuo complecti unicè optem. Qvod in præſenti cum corporis oculis amplexibusq; non qveas; animô tamen freqventi literarum miſſione potes præſtare: idqve ut velis, vehementer te rogo. Paulò poſt, qvam accepiſſem tuas, pientiſſima mater ad me qvàm humaniſſimè ſcripſit, petens, ut qvas adjunxerat literas, faſciculumqve, ad te qvamprimum permitterem. Et qvoniam in tempore me de Dn. Philippo Jungero monueras, hæc omnia cum noſtris his literis ad eum miſi; qvem peculiari rogavi epiſtolâ, daret operam, ut primâ qvâqve & certa occaſione ad te perferrentur. Qvod facturum, non eſt, qvod dubitem. De rebus noſtris Academicis, ex Dn. Oppelio noſtro cognoſces. Sereniſſimi Principis Chriſtiani Uxor non ita pridem enixa Principem parvulam eſt: qvod gaudium brevi, ut ſperamus

mus vovemusqve, felici puerperio alterius Principis Conjux geminabit. Lætis miſcenda triſtia ſunt: & ea vitæ noſtræ perpetua ratio eſt. Significo itaqve tibi, Generoſum Dn. EBELEBIUM noſtrum, Provincialis Curiæ Præſidem, ſuperioribus diebus Dreſdæ, cum pranſurus accumberet, forti apoplexiâ correptum extinctumqve eſſe. Vides, *mi Nobiliſſime GERSDORFFI*, qvam celeri turbine Deus res atqve vitas noſtras citetq; ac verſet. Cujus conditionis mea qvoq; ætas ipſa magis magisq; memorem, & primus iſte ac ſexageſimus annus, qvem ineunte hôc menſe ingreſſus ſum, eſſe jubet. De itinere Gallicano, qvod te cum noſtro Clengelio ſuſcepturum perſvadeor (hoc enim moliri, ipſe ad me noviſſimis literis ſcripſit) gratulor, & reditum feliciſſimum utriqve precor. Si *Grammondi* Hiſtoriam HENRICI IV. Magni Galliarum Regis, itemqve *NICOLAI CAUSSINI REGNUM DEI* ſive *DISSERTATIONES IN LIBROS REGUM*, itemqve *DOMUM DEI EJUSDEM* (utrumqve opuſculum Pariſiis excuſum in folio eſt) qvam primum ad me curare poſſes, magno afficeres beneficio. Qvicqvid hoc nomine ſumtus feceris, & bonâ fide & perlibenter vel Dn. Jungero Lipſiæ, vel cuicunqve alteri, qvem indicabis, repræſentabo. Nobiliſſimus fortiſſimusqve Dn. BELOVIUS, affinis tuus adhuc in Mechelburgico Ducatu hæret. Qvi præcipitante æſtate proximâ ſcripſit ad me, conqveſtus, nihil nummorum hactenus & ſuo & meô nomine à

tum concutiunt atqve affligunt. Interim pro liberali affectu, gratias tibi, ut par eſt, ago, & ut hunc ſerves nobis animum, peto ac obſecro. *Salmaſii Exercitationes*, vere omnis eruditionis penu locupletiſſimum dixeris. Illæ tamen χρήσει qvidem ſeu uſu noſtræ ſunt; κτήσει verò ſive mancupio, ut Lucretius loqvi amat, Academiæ: pro cujus bibliotheca eas ſumtu publicô ſuperioribus annis paravi. Efficiunt illæ duo non parva volumina in folio, & XIV. florenis conſtant. Itaqve niſi rhedario committantur, non ſanè video, qvomodo ad te deferri commodè poſſint. Adde, qvod iis hoc tempore, qvô me Theſauri Fabriani recenſio totum occupat, carere ægerrimè poſſum. Lambini in Horatium Commentarii variè editi ſunt. Penes me eſt editio Pariſiis impreſſa in folio: ubi Lambini commentariis ſubjiciuntur, qvæ Adrianus Turnebus in Adverſariorum libris ſparſim in præſtantiſſimo Poëta notavit, emendavit, illuſtravit atqve interpretatus eſt. In fine adjunctæ ſunt Theodori Marcilii Pariſ. Prof. notæ in illum ipſum Poëtam. Sed ejus codicis hîc in præſenti nulla eſt copia. Editio in qvarto reperitur in noſtris bibliopoliis. De *Crocii* Commentariis (qvorum mentionem facis) nihil conſtat. Fortaſſis *Cruqvii* voluiſti. Fuit enim *Jacobus Cruqvius* Burgis human. literarum Prof. & Commentarios in hunc Poëtam conſcripſit ſanè bonos, edíditqve unà cum vetere Scholiaſte. Neqve non proſtant illi apud nos. Si qvid horum volueris, fac ſciam. Non

deerit tibi in comparandis illis diligentia noſtra & cura. Gravi atqve difficili morbo hactenus implicitus fui, neqve nunc ſatis eô defunctus: dum cum reliqviis ejus adhuc confligandum eſt, qvæ incubuerunt in pedes, moleſtosqve excitarunt tumores. Sed ſuperare dabit DEUS, qvi te ſervet. Vale, *Nobiliſſime Domine*, & me perge amare. Raptim Wittenbergæ, ad d. xx. Julii, An. cIↃ IↃc LII.

CXIX.

Johanni Davidi ab Oppel, S. P.

SPeraveram qvidem, de rebus Pragenſibus me certiorem ut redderes: interim nihil ſuccenſeo, in eo me fruſtrà fuiſſe. Facilè enim intelligo, qvod habuiſti ab reditu otii, id impendendum in iter potius adornandum, qvod immineret qvotidie, qvam perſcribendis literis fuiſſe, qvæ tuam diſtraherent curam ac impedirent. Qvoniam verò nunc Ratisbonam eundum eſt ad Comitia, qvæſo vehementer abs te, ne meorum exortem patiaris, qvæ communicare cum amicorum aliis volueris qvandoqve per otium. Interim precor, ut iter tuum omni favore indulgentiſſimè proſeqvatur Deus, & undiqvaqve proſperet, teqve egregiis documentis civilis auctum prudentiæ, lætumqve ac fortem, non modò affectibus tuis & mihi, ſed patriæ etiam reddat, cujus bono te natum ex nobilis-

biliſſimis dotibus auguror ſanè. Ita vale, & i, ac redi feliciter, *Amor noſter ac Decus*. Raptiſſimè, ad d. XIV. Decembr. Anno cIↃ IↃC LII.

CXX.

HENRICO à FRISEN S. P.

Illuſtris Domine,

SImul huc redii, ad Dn. Barthium dedi literas, petiiqve ab eo, qvamprimum me certiorem faceret de libris, qvos venditioni adhuc haberet paratos. Commendavi eas amico, ut traderet ipſe. Et tradidiſſe reſcripſit haud tantùm, ſed recepiſſe *Barthium* etiam, primâ occaſione ſe reſponſurum. Sed ego in exſpectando hactenus fruſtrà fui. Dum itaqve veniant literæ, catalogum interim mitto ad te, qvem ante hos duos, tres annos mecum communicavit, ne ſegnem me ſcilicet, & otioſum, aut penitùs rei oblitum putes. Qvandoqvidem in reditu proximè Torgam non venimus, citimâ parte amnis profecti, ut paulò æqviore viâ uteremur, cum Dn. MEISNERO, ejus ſcholæ Rectore, loqvi haud potui. Sed ſpero hominem affuturum brevi nobis in Panegyri Philoſophicâ, creandis Magiſtris artium pòſt paulò inſtituendâ. Qvi ſi fefellerit, reliqvum erit, ut qvas adminiſtrare ipſi non poſſumus, mandemus literis partes, ſignificaturi qvamprimùm, ecqvid reſponderit. De reperiendo homine

Matheſin & Græcas literas docto & poſthæc commodis moribus, neqvicqvam hactenus navavi operam. Nam uti tempora nunc ſunt, in unum rariſſimè conveniunt hæ dotes. Faciam tamen adhuc periculum, atqve experiar, qvam ſe faventem nobis fortuna dabit. Vale, *Præſidium noſtrum ac Decus*, & me, qvod facis, amare perge. Raptiſſimè, ad d. XXI. Aprilis, Anno cIↃ IↃC. LII.

CXXI.

Johanni Davidi ab Oppel S. P.

Unâ fideliâ, qvod ille ait, *duos dealbabo parietes:* hoc eſt, ad geminas tuas epiſtolâ ſimplici reſpondebo. Nec excuſatione opus eſt, qvum ipſe ſubjeceris, qvæ pro me dicere atq; afferre poteram. Valde autem te amo de illis, qvæ de cometa & aliis communicare mecum voluiſti. Cœpit mandare aliqvid literis de ſtella crinita Notnagelius: ſed hactenus abrupit cœpta iter huc mecum ſuſceptum. Repetiturusne id penſi ſit, reverſus ad ſe, ipſemet ambigit: præcipuè, ſi diutius hic commorandum. Qvod ne fiat, vereor valdè. Lentè enim conventus noſtri procedit negotium. Nam ad relationem Principis poſt diem X. demùm Ordines reſponderunt, nec qvicqvam repoſuit hactenùs Sereniſſimus Elector. Et nondum Ordines gravamina ſua, qvæ vocant, exhibuerunt, Ex qvibus ſi conjecturam facere licet, vix niſi ineunte vere Comitia iſta diſſolventur. Namqve ut

ut audio, Sereniſſimus Elector non pauca alia qvoqve deliberanda Statibus deinceps proponet. De prodigiis, qvæ ad Magnificum Dn. Rectorem perſcripſiſti, jam aliunde qvoq; acceperam. Nec non qvotidie pene hic apud nos qvoqve talia audire licet. In præfectura Haimenſi pagus eſt, Strôſen appellatur. Ibi ſuperioribus diebus arcus in piſcina conſtricta glacie rubicundus apparuit. Soluta glacies à ſole in ſangvinem fluxit. Sed & Bleſeram prope aqvæ ſangvineæ apparuerunt. Scripſit ad me menſe proximô Vinarienſis Principis Conſiliarius, Dn. Güntherus Henricus Platnerus, ad d. xv. Januarii, horâ x. pomeridianâ octo globos igneos Erphordiæ decidiſſe cœlô, cum magno fragore, momentô unô; IV. ad portam Krempenſem, & totidem ad Smeſteranam. Hæc & alia plura qvid portendant, caliginoſâ nocte Deus premit. Cæterum fruſtrà fuerit, credo, qvi læta ac proſpera inde expectet. De Wittenbergenſibus rebus nunc nihil poſſum, præterqvam L. Ritterum cooptatum in Profeſſorum ordinem D. Godofredo Schneidero ſucceſſiſſe, Dn. D. Reuſnero, ſi ariolari licebit, vix dabitur ſucceſſor, anteqvam Dn. D. Strauchius noſter redeat. Qvem meo nomine ut officioſiſſimè ſalutes, magnopere rogo. *** Ex Dania non ita pridem Dn. D. Janus ad me perſcribit, mirè turbatas ibi res regni eſſe. Adeſſe Batavorum juxtà atqve Anglorum Oratores: nec dimittendos prius, qvam Legati Regii ex Svecia redeant, ad d. x. Januarii profecti. Certumqve

eſt, Svecos non contemnendas copias in Scaniam Livoniamqve adducere. Deus coërceat turbatores & inimicos pacis: & partam hactenus qvietem propriam atqve perpetuam eſſe ſinat. Neqve enim ulla bello eſt ſalus. Vale, *Nobiliſſime Domine*, & age ſoſpes: & me tuarum literarum deinceps qvoqve patere minime exortem eſſe. Dreſdæ, raptim, ad d. xxvi. Febr. Anno Iↄc Iↄc LIII.

CXXII.

EIDEM.

REctè omnes tuæ redditæ mihi hactenus, qvod officium tuum ut jucundiſſimum mihi fuit, ita ſummas & ſingulares de eo tibi gratias ago. Præcipuè de nummo aureo, qvem diligenter & tui, & memoriæ cauſa aſſervabo. Nunc tibi excuſandum ſilentium erat. Sed ut id facerem, prout debebam, nunc omninò fas haud erat. Breviter: Decanatûs aliisqve negotiis, qvæ ſubinde me diſtraxerunt hactenus, & adhuc exercent; itemqve valetudini, qvâ non proſpertimâ per æſtus iſtos uſus ſum, itemqve ætati iſtud ignoſces. Nôſti, qvid ſenectus faciat. Qvæ præter alia incommoda homines tardiores etiam & ſegnes reddit. Sed apologiâ mihi apud te opus haud eſt. De cujus facilitate mihi jam ante abundè conſtat. De F. heri ea perſcripſit Dn. Præſes Metſchius, qvæ vera nollem. Sed vera eſſe ex ipſius F. confeſſione nunc liqvet. Qvi tamen nunc facta deteſta-

tur,

tur, & de errore ſuo dolet: eiqve rei ut fidem det, ad proximam Dominicam ſacroſancta myſteria accedet. Utinam ſerio, atqve ex animo: non ut ad tempus lateat ac fallat. Ad A. qvod eſt, diſceſſit ille jam olim. Vileſcere cœperat: idqve ob factioſam & intemperantem lingvam, ut perhibent, qvâ lites atqve diſcordias inter benevolos atqve amicos excitârit. Rem totam filius accuratius explicabit. Mihi nec exqvirendi antè, nec nunc ſcribendi plenius otium fuit. Sed ſcripſit is proximè ad me, utrum ab ordine noſtro impetrari poſſit, ut abſens futurâ panegyri me Decanô crearetur Magiſter. Præterea, ſe huc reverſurum poſt annum. Interim ſibi Profeſſionem practicam Roſtochii à Principe oblatam. Cæterum patrem velle, ut Theologiæ gradum ſummum petat, atqve de ſacerdotio ſuſcipiendo agat curam. Qvæ inter ſe non ſatis congruere videntur. De Philoſophicis tamen honoribus ipſi data eſt venia, ſi ſerio petet. Ego verò ſubdubito. Tempus itaqve docebit. Nôſti ipſius obſcurum & ſinuoſum animum. Jam antè petierat, ſe Generoſo Dn. Parenti tuo ut commendarem. Ut ſi huc amandaretur frater, ſtudiis ejus præficeretur. Ego optaverim, ut tàm rectô modeſtoqve animô ſit, qvam eruditô ingeniô eſt. Qvam ob cauſam alias hominem meritò amo. Proximè plura ad te Dreſdenſi viâ, additurus nonnulla, qvæ in præſenti curſor recuſabat. Tum & ad Generoſum Dn. Friſium ſcribam, cui interim cum Ampliſſimo Dn. Strauchio noſtro ſalutem

atqve officia noſtra, ac cultum deferes prolixè. Vale & me perge amare, & ut de eo certus magis ſim, ſæpiùs ſcribe. Raptiſſimè, Wittenbergæ, ad d. XVIII. Auguſti CIↃ IↃC LIII.

CXXIII.

VIRO

Nobiliſſimo atqve Ampliſſimo

Godofredo Schneidero

S. P.

Ampliſſime Vir,

LEntum revera nomen ſum, fateor enim, qvi ad tam amicas tuas literas, qvas Majô proximô dediſti ad me, Sextili demùm atqve eô adultô, reſpondeam. Sed multa licet afferre, qvæ tam amico homini & benevolenti ſilentium meum facilè, ſpero, excuſent. Namqve & Decanatus, & alia negotia varie atqve ſubinde diſtrahunt: accedit valetudo, qvæ per æſtus iſtos non ſanè proſperrima fuit. Habet præterea & hoc ſenectus incommodi, ut ſegniores ac inertes nos reddat. Deniqve nihil periculi videbatur ſubeſſe, ſi vel reſcriberem tardius. Nondum de Torgenſi itinere memini; qvod Junio ſuperiore ad Dn. D. Janum ſuſcepi, cum qvo dies aliqvot jucundiſſime egi. Puto eum nunc Ratisbonam veniſſe, & te complexum. Ita enim tùm videbatur minari: & jam profectum domo certò conſtat. Cum eo qvum eſſem multa mecum

cum de te: eaqve perhonorificè, qvæ ſingulari voluptati fuerunt. Juvat enim & melli eſt, de amiciſſimis hominibus optima qvæqve audire. De Comitiis nihil attingo. Res ſupra penulam meam eſt, & tota relinqvenda togatis, qviqve in conſiliis aſſident. Ego tantùm voveo, ut reipublicæ patriæqve feliciter expetant. Interim grata mihi, qvæ ſcribis, fuerunt: optimeq; merebere de me, ſi mecum inpoſterum qvoqve communicare talia haud pigraberis. Sereniſſ. Elector graviter hactenus decubuit, ut penè ultima metuerentur. Sed avertit Numen benevolum, cujus ope convaluit; ut robuſtè ac fortiter, omnes oramus. De Dn. BIRENCLAJO dulce fuit cognoſcere, comiter admodum mei meminiſſe. Non qvod aliqvid mihi tribuam, blandiarqve inaniter, qvi mediocritatis meæ optimè mihi conſcius; ſed qvia agreſtis & truculenti, imò degeneris animi ſtatuam, bonorum laudes & malevolorum criminationes habere juxtà. Sed de perſona ejus ac ſtatu, ingenioqve ac dotibus enucleatius, qvæſo, perſcribe. Etiam de gente ac genere, puto enim Scotum & de Barclajorum familia eſſe. Erit fortean, ut ad eum dem literas, ſed ſi videbitur tibi, vacuum ambitionis ſuſpicione. De Dn. Caſſio næ ego impenſè gaudeo, adhuc inter amicos numerare Buchnerum. Ac utinam amplecti coràm tàm carum pectus, & omnem in illum affectûs vim effundere liceat! Tu qvæſo, has partes interim age, atqve utriqve, BIRENCLAJO inqvam & Caſſio obſervantiam meam & cultum diſcr-

diſertiſſimis verbis redde teſtata: eorumqve pignora hæc carmina interim exhibe, donec uberiora fidei animiqve mei documenta ipſis præſtare poſſim. De J. B. F. mirifica ſanè heſterno die ad me Dn. Præſes Merſchius perſcripſit: eum renunciaſſe ſacris noſtris: & Pontificiis publicè dediſſe nomen. Hanc ob cauſſam ſe qvàm primùm monendum, qvid de ſtipendio ipſi numerandum reſtet. Illo qvippe ea de re jam excidiſſe. Verba ipſa hæc erant: Demnach es weltkündig/und mit der heutigen Poſt anderweit confirmiret wird/daß der junge F. der hohe Juriſtiſche Stipendiat / öffentlich ſich zur Röm. Catholiſchen Religion bekennet / und er hiedurch ſich ſeines Stipendii verluſtig gemacht / Als ꝛc. Audio illum Ratisbonæ verſarum aliqvo tempore, an itaqve ibi captavit pontificios, aut egit cum iis familiarius, eorumqve captus ſvaſionibus ac blanditiis eſt? Non poterit tibi id obſcurum eſſe. Itaqve qvicqvid conſtiterit de eo, me certiorem ut facias, qvamprimum etiam atqve etiam peto. Venit is huc diebus ſuperioribus, ſed nondum cum eo collocutus ſum. Dn. Strauſius, affinis tuus, affirmabat mihi heri, eundem rumorem ad ſe perlatum: & inqviſiviſſe in rem Generum ſuum Dn. Oſtermannũ noſtrum: cui magnam motam ſuſpicionem non diſſimulabat. Hodie rem certiùs explorabimus: & ſpero ipſum F. apud me venturum hoc ipſo manè. Valde me concuſſit hæc res: & valde metuo matri optimæ, ne, ſi reſciſcat hanc rem, mœrore animi conficiatur. Vale Ampliſſime Vir, &

me,

me, qvod facis, amare perge. Raptim. ad. d. XVII. Auguſti, Anno cIɔ Iɔc LIII.

P. S. *Multum te amo, ut has ad Dn. Oppelium permittere ne grave fuerit. De F. non eſt, qvod moleſtus tibi ſis. Hôc ipſô articulo Dn. Protonotarius mecum fuit, qvi univerſum negotium aperuit. Et pœnitet illum, ut dicebat, facti: idqve teſtabitur miniſtro verbi, ad ſacra myſteria Dominicâ proximâ acceſſurus: ſed vereor, ut omnes ſuſpicandi ſeqvius cauſſas ſtatim diluat. Qvod aliqvid detrimenti rebus ipſius afferet. Qvod ſublevando ipſi conferre opis potero, prolixè conferam.*

CXXIV.

Generoſo Domino,

Nicolao à Gersdorff,

S. P.

NOn indelectat me, *Nobiliſſime GERSDORFFI*, qvòd literas meas impatienter deſideras. Amoris iſte affectus eſt. Qvo refero etiam timorem tuum, qvo, ne excideris nobis, videbaris vereri. Eſt enim amori fermè adjunctus metus. Et qvò complexi qvem arctius ſumus, hôc magis timemus ſolicitè, ne divellamur. Sed delicatior paulò hic amor eſt: ego verò putaram, abs te fortiùs diligi. Cujusmodi amor â ſemetipſo & ſumit aſſiduè vires, & novat. Externa illa, videre, alloqvi, amplecti, ſi ſunt in promtu, non negligit; cùm abſunt, non anxiè qvæ-

qværit. Securus ſui, & plenus fiduciæ ac optimæ ſpei, in nullas qvereas & expoſtulationes erumpit. Benè tamen habet: nec ad injuriam verto, qvod qvereris. Modò & tu de noſtro ſilentio æqvus ſedeas judex. Qvid? ut tu excideris huic animo, in qvo æternus amor dulciſſimum nomen tuum aureô ſtylô inſcripſit dudum, imò inſculpſit? An oblivisci poſſim tui, GERSDORFFI, de cujus ingenio, moribus & tot virtutibus excellentiſſimis tàm magna atqve eximia mihi ex eo tempore usqve promiſerim, cùm innoteſcere primùm eſt datum?

Dii meliora piis, erroremqve hoſtibus illum!

Salmaſii, Cauſſini, Petavii, Naudæi deniqve obitum ægerrimè accepi. Sed nihil æternum in rebus humanis; præterqvam ingeniorum noſtrorum & animorum opera. Qvæ parentum ſuorum imitantur ſortem, & ſicut ipſi, immortalia ſunt. In iis igitur & erunt ſuperſtites nobis ac ſemper vivent, qvi videntur amiſſi, cùm fama eorum & gloria nunqvam intercidat. De Puteano autem & amicitia tanti viri, qvibus verbis tibi gratuler? Hic enim ille eſt, qvem ob multarum rerum ſcientiam, ob inuſitatam eruditionem, ob ſummam illam & incontaminatam virtutem tot viri magni amârunt certatim hactenus miratiqve ſunt, & velut ambitu qvodam coluerunt. Hunc itaq; ſectare, hunc obſerva, atqve auſculta, hauſturus ab eo, qvæ eruditionem augere nobiliter, & vitam animumqve inſtruere ſaluberrime poſſint. Schiffletii *ſcripta*, itemqve BLONDELLI *lucubrationes* ſi comparave-

ris

ris nobis, magnô beneficiô me affeceris. Illius qvædam, hujus nihil hactenus vidi. De Grotii tamen *Epiſtolis* innotuit primum. Et inde admirari hominem cœpi. Cauſſini *Diſſertationes in Regum libros*, itemqve Grammondi *Hiſtoriam ab exceſſu HENRICI MAGNI* jam nactus ſum. Itaqve jam non eſt, ut de iis labores. Filius meus natu major Hiſpaniarum Regis auſpiciis ſub ductu Wirtenbergici Ducis militat, turmæ eqvitum præfectus. Qvi ex caſtris ad Peronam noviſſimas literas ad me dedit. Alter in Polonorum Regis militia cohortem ducit. Tertius mecum eſt, ut ſtudiis incumbat. Proximâ ſeptimanâ Clengelius Ratisbonâ ſcripſit ad me, cum in procinctu ſtaret ad Italicum iter ſuſcipiendum. Petet Venetias primum: hinc Romam proficiſcetur, per hiemem anni ibi commoraturus. Deus fortunet cœpta, & ambos mihi incolumes, lætosqve ac fortes reddat! Te imprimis, *Decus noſtrum GERSDORFFI*. Propediem plura. Raptim Wittenbergæ, ad d. xxv. Novembr. Anno cIↄ Iↄc LIII.

CXXV.

Johanni Davidi ab Oppel S. P.

MIrum in modum exercet me hactenùs Theſaurus Fabri, ut nihil propemodùm ſuperſit temporis, qvod ſuffurari illis curis, & aliis rebus impendere habeam, Nam dum illius

pars apud nos, & alia Lipſiæ ſimul excuditur, & ſuppeditandis exemplaribus, & corrigendis deſcriptis paginis ægrè ſufficio. Qvô accidit, ut neqve ad Illuſtrem Dn. FRISIUM, qvod debeam, qvicqvam hactenus perſcribere potuerim, nec tibi mittere qvid literarum, toties licet, & humaniſſime qvidem invitatus. Conſtitueram tamen abrumpere omnia, ut tuis noviſſimis reſponderem; ſed id parantem graviſſima valetudo oppreſſit, & nunc poſt integrum menſem non ſatis reſpirare ſinit. Laboravi enim hactenus tum pedum, tùm nephriticô morbô, qvi eâ vehementiâ me invaſit, ut planè me imparem acutiſſimis doloribus fore exiſtimarem, ſuprema ipſâ meditatus. Sed affuit DEUS, & opem tulit, ut vincerem malum, ſed ut mox iterum iterumqve velut è fuga adoriretur & infeſtaret, paullò poſt rurſus elapſurum. Qvi crebri repetitiqve aſſultus, dici non poteſt, qvàm fatigaverint vires atqve exhauſerint. Et cum ſiniſtro latere neqve dum ſatis bonâ fide redire poſſum in gratiam. Ita ſubinde præter ſpem ibi emicat, qvod lancinet malè, & crucem figat. Qvæ cum ita ſint, non modo Illuſtri Domino FRISIO cum luculenta cultus officiiqve mei ſignificatione ſilentium meum accuratiſſimè excuſabis; ſed ipſemet qvoqve non ægrè feres, tantô te tempore nihil à me literarum accepiſſe. A. omnino gradu à me, ſed abſens, ornatus eſt. De ejus conſilii ratione nihil qvidem hactenus perſcripſit ad me; ſed, niſi fallor, reſpicit ille Pro-

Profeſſionem aliqvam Philoſophicam vel Roſtochii, vel apud nos. Qvam niſi Magiſter artium fuerit creatus, ita qvidem adipiſci non poteſt, ut Decani partibus liceat fungi. Videt Franckenbergerum noſtrum magno natu: & ſcio cum eo egiſſe de adoptando ſibi aliqvo, qvi vices defecti ætate & valetudine adminiſtraret. Qvin & per alios me qvoqve adortus eſt, qvi laudarent qvietem, & otium aliqvod ſvaderent ad hoc ætatis profecto. Parcendum viribus: nec geminæ Profeſſionis laboribus ſenile corpus affligendum nimis frangendumqve eſſe. Superioribus diebus hiſce verbis ad me ſcripſit. *Ego vero tantum mihi de te Decano gratulor, qvantum alii cavillari fortè volent hoc meum ſerum ac tardum nimis factum. Non enim integrum mihi fuit, à pari vel certè non multùm ſuperiori id ſimulacri honoris aſſumere.* Paulo poſt addit; *Gryphiswaldæ per proximam æſtatem futurum.* Ut ex aliis didici, petiturus licentiam aſſumendi ſummi in Theologia gradus. Et videtur id confirmare ſubſcriptio literarum ad me, qva uſus, dum S.S. Theolog. Candidatum diſertè ſe ſcribit. M.A. delatum Conſiliarii munus, non vanum nuntium credas. Detulit ei has partes Stollbergii Comitis nomine Dn. D. Breſſerus; ſed noluit recipere. Videturqve aliqvo adhuc tempore moraturus nobiſcum, & abſoluturus qvas cœpit ſcholas privatim, cùm Juridicas, tum Politicas qvoqve. De feſtinatis M. noſtri cum R. nuptiis meritò miraris; & percuſſit hæc res & aliorum animos

haut parum. Sed noſti illud vulgare: *fatô connubia fiunt.* Nobis autem qvid reſtat, qvàm amico precari & acclamare vetus illud FELICITER! K. ut audio, ſuo morbo indulget. Qvíqve eum inſanire perhibent, hos omnium inſanos maximè, mortaliumq; ſtultiſſimos eſſe pronunciat. Frater ejus jam Dreſdæ eſt, liberaturus hominem, ſi licet: & ſunt qvi firment, emiſſum cuſtodia eſſe. Salmaſium in Spadanis aqvis, Boxhornium Leydæ, Naudæum, Petavium, Cauſinum Pariſiis obiiſſe, Gersdorffius noſter inde ſcribit. Nimirum homines ſumus: & poteſt ingenii ac eruditionis excellentia extendere vitam, avertere verò mortem non poteſt, qvæ æqvô pede & ſapientiſſimos viros & inertiſſimum vulgus proculcat. Hâc lege obſtricti tenemur genus humanum. De Joachimo Ferdinando Tectorio, ſive Trevero, qvod ſcribis, ſcias ejus ne nomen qvidem hic cuiqvam noſtrûm notum eſſe; nedum ut ille unqvam publicè Theologiam docuerit. Mentitur itaqve terræ filius impudentiſſimè, & ut videatur aliqvis, confinxit talia, duriſſimô ore, nulla fronte. Qvi mos planorum hujusmodi atqve erronum eſt. Itaqve cauſa non eſt, qvod levitas hominis qvenqvam moveat. Ampliſſ. Dn. Strauchium ut officioſiſſime verbis meis ſalutes, etiam atqve etiam peto. Vale ex voto & age feliciter, & maximarum rerum ſcientiâ auctus ſoſpes redi! Vale iterum & ſalve. Wittenbergæ, ad d. XVI. Januarii, Anno clɔ Iɔc LIV.

civ. qvem tibi cum pluribus inſeqventibus felicem ominor ac fauſtum.

P.S. *Carmina noſtra, qva mitto, ſi illuſtris* Dn. FRISIUS *&* Dn. Doct. STRAUCHIUS *legere ſuſtinuerint, eorum ut copiam ipſis facias, comiter rogo.*

CXXVI.

EIDEM.

INſtitutum tuum de Oratione, qvam conſcripſiſti, Panegyrica, vehementer probo. Producet ea ingenium tuum, & innoteſcere faciet tot viris non modo ſapientiâ doctrinaqve illuſtribus; ſed maximis etiam Principibus Chriſtiani orbis. Et qvamvis paginæ tuæ qvam occupatiſſimo redderentur; poſthabui tamen cætera omnia, ut perlegendis iis ſtatim vacarem. Qvas nunc remitto, ne cui fraudi tibi ſit diutior mora. Recenſenti illas pauciſſima occurrebant, qvæ meliora fieri poterant. Et qvæ refinxi, non eam reſcripta ob cauſam ſunt, qvod indigerent limâ; ſed ut videres tractâſſe tua, & ſatisfacere aliqvà voluntati tuæ me ſtuduiſſe. Ad titulum qvod eſt: laxior ille videbatur, qvàm qvi argutis ac elegantibus auribus, qvæqve adſvetæ antiqvioris Muſæ genio, ſeſe probaret. Et ſolent libenter Belgæ & Galli ridere Germanos, cùm legunt talia: nosqve hebetioris cujusdam nec ſatis politi ingenii damnare. Qvid mihi in mentem venerit, ex ſcheda ad-

juncta intelliges, & conſiderabis, qvid factu opus. Neqve enim tàm eſt ſeqvendum, qvod eruditi homines probant; qvàm iis qvod ſentiamus gratum maximè, qvorum benevolentiam gratiamqve captamus. Sic fit, ut nobis tenenda ſæpius ſint, qvæ maximè diſplicent. Si, qvæ reſtant,& ipſa placuerit mittere, efficiam, ut primâ ipſâ occaſione reditum ad te faciant. M. A. hodiè Torgam diſceſſurus eſt, ut fori auſpicetur militiam, captô repente conſilio; qvod dolor fortè ſuggeſſit, qvem ex præreptis amoribus cepit. De qvo proximè. Grubbachius ſuperiore ſeptimanâ ad plures ivit: qvem Witzius præceſſit. Noſtri omnes te ſalutant. Illuſtri Dn. FRISIO ut cultum meum ſignifices; Magnifico Dn. Strauchio officioſiſſimam dicas ſalutem, vehementer peto. Raptiſſimè, ad diem XXII. Martii, An. clↄ Iↄc LIV.

CXXVII.

EIDEM S. P.

Nudius qvintus poſteriores tuæ literæ mihi redditæ ſunt cum iis, qvæ junxeras. Pauca reſcripſi: & nunc remitto. Video enim nulli moræ locum eſſe. Tota itaqve res ut bene vertat & rebus tuis & gloriæ, ex animo precor: tùm, ut tam felix patria ſit, qvàm tu ei precatus, & ut vana omnia ſint, qvæ non neqvicqvam videmur vereri. Sanè Bremenſe negotium non parùm videtur haud boni ominis habere. Jam Mechel-

Mechelburgici motus & inferioris Saxoniæ arma, qvò poſſunt evadere? Noſti ex parvo fomite magna ſæpè coorta incendia: & rarò ſiſtere bella, ubi cœperint. Luis peſtiferæ inſtar ſerpere ſolent, & cum vicina corripuerint, ſe ſpargere latiùs & divagari tandem impotenter. Lotharingii artes & machinas jam fatum vindicat, & injicit manum, & pœnas poſcit ab eo, qvi hactenus Deo hominibusqve impunè illuſit Manifeſto documento, pravas artes habere ſucceſſus aliqvos; non ſtabiles tamen atqve perpetuos: & licet ſerò qvandoqve, tandem tamen Deum adeſſe ultorem. Illuſtrem Dn. FRISIUM, Magnificumqve Dn. Strauchium valere optimè & patriæ rem feliciter agere, meqve amare ex animo opto. Tu qvoqve vale, & ſoſpes age rediqve nobis, *Amor atqve Delicium noſtrum*, *OPPELI*! Raptim Wittenbergæ ad d. XXIX. Martii, Anno IↃC IↃC LIV.

P.S. *De titulo ſcripſi proxime qvædam: nunc ad illud, de qvo in præſentiarum qværebas. Ac nomen qvidem primò ſtatim loco, verisſima & naturalis maximè ratio eſt: & ita ſemper Romani. Aliam viam ſcribæ noſtri ſeqvuntur. Qvorum tyrannidem ſi vereris, & interpretationes ſiniſtras, potius eſt, concedere aliqvid, qvàm famæ adire periculum. Nam & ſapientis eſt, non omnia rationibus, ſed tempori etiam aliqvid dare: & noſti illud:*

Dulce eſt deſipere in loco.

CXXVIII.

Generoſo ac Nobiliſſimo Domino

Nicolao à Gersdorff S.P.

EX qvo ad ultimas tuas, GERSDORFFI NOBILISS. qvas ſuperiore anno ad me dederas, reſpondi, anxiè perqvàm exſpectavi tuas. Qvæ cum redderentur mihi nuper, non ſanè qvam jucundiſſimæ mihi venere. Præterqvam enim, qvod inde non obſcurè conjicerem, non redditas tibi, qvibus reſpondi tuis; Idettereà ſignificabant, qvod peracerbum mihi accidit, te optimâ & amantiſſimâ matre orbatum eſſe. Magno profectò dolori id fuit. Neq; enim latebat, in qvantum luctum & ejus occaſu, pro incredibili illo amore & pietate, qvâ ipſam ſemper complexus jure, incideris. Imprimis, cum aſſidere valetudini ejus, fovere deficientem, haurire extremi oris ſermones & oſcula, claudere mortuæ oculos, obire ſolennia pietatis, & alia hujus generis, qvæ pro ſolatiis eſſe ſoleat, non potueris fungi. Sed cogitabis communem legem, cui omnes ſumus obſtricti. Cogitabis DEUM, & providentiam ejus; in qva acqvieſcere placidè, primum Chriſtiani hominis officium eſt. Qvicqvid in nos ſtatuit DEUS, ita ſtatuit, non ut malô afficiat, ſed ut proſit & ſervet. In medentium morem, qvi amara propinant, non ut faciant ægrè, ſed ut ſanent. Et ſunt plerumqve optimæ & ſaluberrimæ medicinæ amaræ ac triſtes. Dulcia dum nimis capiunt, ma-

gis nocent. Non eſt piiſſimus in ſuos, qvi neq; modum nec finem lacrymis ponit: ille veriſſimo officio in illos fungitur, qvi recordatur venerabiliter, qvi, qvicqvid in illis amavit miratusqve eſt, colit juxtà & imitatur. Ut uberius tibi exprimerem affectum meum, & carmen adjeci: ſed qvale non acriter meditanti & occupato, atqve, ut breviter dicam, non optimis Poëtis excidere ſolet. Tu boni conſules: & animum magis qvàm rem æſtimabis. Uxorcula liberiqve, ut & Coſelius noſter rectè valent. Ego mediocriter, atqve vix unqvam ſatis bellè, ex eo usqve tempore, qvô tuæ ſuperiores mihi redditæ ſunt. Tum enim ex calculo podagraqve graviſſimè & ita decumbebam, ut jam de ultimis cogitarem. Nec cum reſcriberem, id omiſi ſignificare. Qvod alterô menſe poſt factum, cùm nonnihil in gratiam cum valetudine redire cœpiſſem. Tùm etiam monui, me Sereniſſimi Principis noſtri, cùm huc veniſſet, interfuiſſe convivio, & tui mentionem feciſſe, & commendâſſe inſtitutum tuum, qvo freqventare cœtus doctiſſimorum maximorumqve virorum in urbe, qvi in hebdomadas ſingulas in illuſtrium Puteanorum ædibus haberi ſolent, ut de variis rebus ad Rempublicam & Sapientiæ ſtudià pertinentibus ſermones conferant, hâc ſingulari ab iis factâ gratiâ ſoleas, & ita conſiliis ſaluberrimis & non vulgatis doctrinis imbuere animum atqve inſtruere: atqve id tàm gratanter accepiſſe Sereniſſimum Principem, ut diceret, ampliſſimam ſeſe ſpem concepiſſe de ſtudiis tuis, certoqve pro-

mittere ſibi eum daturum te virum olim, qvi ſibi ac patriæ & uſui magno & ornamento futurus ſit. Nec non id omen me proſeqvutum fauſtis vocibus, nec dubitaſſe plenam ei conſtituram fidem, ſi animus iſte, qvem mihi probares abundè, non dêſereret te & vita ſuppeteret. De N. qvod audiſſe te ſcribis, fabulæ ſunt. Qvales de iis qvoqve finguntur, qvorum nunqvam ſine reverentia animi mentio facienda. Nôſti qvid vani & neqvam homines ſibi permittant. Major natu filius ſub potentiſſimo Hiſpaniarum Rege in Belgio eqveſtres militias facit. Unicè opto, ut aliqvæ partes in patria ipſi poſſent committi. Qvô nomine & Sereniſſimo Electori, & Electoratûs hæredi Sereniſſimo ipſum commendavi, Et ab utroqve luculentiſſima ſpes clementiſſime mihi eſt facta. Qvam ſi impleverit Deus, licebit & placidè magis componere ſenium meum, & lætius mori. Imprimis, ſi te videre etiam reducem ac complecti, qvod unicè ſemper precor DEUM, fas erit. Vale feliciter, & me meosqve perge amare. Raptim. Wittenbergæ, pridie Kalend. April. Anno cIɔ Iɔc. LV.

Ad
Generoſum & Nobiliſſimum
DOMINUM
Nicolaum à Gersdorff,
EqvitemLuſatum,
Ereptam matrem acerbè lugentem.

F*Les matrem: & ſi qvis talem deflere vetabit,*
Ferreus hic, expers aut pietatis erit,

Plus

Plus nulli debere potes: nam te edere talem
Qvod potuit, potuit majus an illa dare?
Jam qvanto complexa fuit te ſemper amore?
Nulla magis natum mater amare qveat.
Hæc qvoties Numen ſupplex in vota vocabat,
Principium votis, tu qvoqve finis eras.
Semper oberrabas animo, qvodcunqve parabat,
Inqve tua ipſe adeò ſomnus imagine erat.
Ah qvoties dixit, qvid agit meus ille? valetne?
Hoc mihi dent ſuperi, dent ſupereſſe caput!
Scilicet ille meæ baculus lumenqve ſenectæ:
Unum hunc ſi teneo, cuncta tenere putem.
Digna qvidem lacrymis res hæc; tamen usqve madere,
Qvid juvat? ad lacrymas nulla redire volet.
Si neſcis, illa attigerat ſtadia ultima vitæ:
Et qvam longa ſeni mors, rogo, abeſſe poteſt?
Jus ſeqvitur natura ſuum: ſenium excipit urna:
Et poſt nubilam humum ſidera celſa manent.
Hæc ſuper ingreditur Tua nunc: qvin celſior aſtris
Omnibus, ante ipſum plaudit ovatqve DEUM.
Et qvamvis hominem dudum exuit, attamen extat
Mater adhuc, pro te dum pia vota litat.
Non lacrymas res iſta petit: venerare parentem,
Qvam fleſti: in meritis eſt ſuper illa ſuis.

CXXIX.

CXXIX.

Teſtimonium Metſchii,

COmmunis literarum & Academiæ noſtræ Patronus ſummus, illuſtris meritorum gloria vir, *Dominus* FRIDERICUS METSCH *in Reichenbach & Friſcn &c. S. Romani imperii Theſaurarius, & Sereniſſimi Electoris Saxoniæ Conſiliarius intimus, nec nõ Eccleſiaſtici Conſiſtorii Præſes*, ante hos tres annos, ineunte hoc ipſo menſe, *Iuvenem filium* BERNHARDUM ADOLPHUM in flore ipſo ætatis huc miſit, ut artibus patriis pararet ſe atqve in eam adoleſceret ſpem ſub ſtudiorum incude poſitus, qvæ maximarum olim rerum capacem daret. Non fallunt temerè natæ feliciter indoles: Surgunt in ortus ſuos generoſa ſemina: nec ab natura ſtirpis abeunt ſurculi. *Metſchius* qvoq; *noſter* ita ſe comparavit hactenus ac geſſit, ut facile teſtaretur, ex qvibus eſſet natus, qvorum inſeqveretur veſtigia, eandem contingere avidus metam, qvæ gentis auctores in id faſtigii extuliſſet. Itaqve ſummâ diligentiâ iis attendit hactenus, qvi ſpei admoti Juvenis fingerent ejus ingenium, & intelligendi ac diſſerendi diſciplinis imbuerent; qvi morum civilisqve habitus Philoſophiam, & ſi qvæ alia ornamento eſſe poterant, inſtillarent animo præclarè. Cæterum in meditandis iis & exercendis, qvæ benè monſtrata ipſi traditaqve eſſent, qvantô aſſiduè verſatus ſtudio eſt? Ratus vix poſſe

poſſe radices figere, & bonâ ſatis fide hærere, qvæ obiter & tralatitiè animô eſſent accepta. Jamqve eò profecerat, ut ad *regiam Iuris artem*, ſicut Plato appellat, nobiliſſimô impetu aſpiraret. Hæc enim illa ars eſt, ſine qva haberi florereq; Juſtitia & ſuus cuiqve ſtatus atqve fortunæ ſalvæ eſſe non poſſunt: qvô gentium pax regnorumqve ſecuritas maximè nititur. Qvid nunc de morum vitæqve integritate dicam? Qvid de modeſtia, cujus fama, ut magni auctoris verbis utar, *neqve ſummis mortalibus ſpernenda eſt, & à Diis æſtimatur?* Non ille Academicam libertatem in laſciviam; non ille tranqvillum iſtud otium ſtudiorum ad voluptates ferociamqve convertit. Id egit ſemper, uti ſatisfaceret legibus, ut ſpei votoqve patris optimi ſe, qvantum poteſt, approbaret. Macte hoc animo, *Nobiliſſime Iuvenum!* & qvia nunc diſcedendum tibi ex Athenæo noſtro eſt, fauſtis ominibus auguriisqve meritò abitum tuum proſeqvimur, teqve iterum mactum hoc animo jubemus eſſe. Macte inqvam, inſiſte præclaris curriculis; nec deſere unqvam ſpatia, qvæ ad virtutem & ſapientiam ducunt, eaqve promittunt præmia, qvæ virtute & ſapientia inclutos in arduo ponunt. Illâ familiâ, illis progenitoribus natus es, qvæ nihil abs te niſi eximium & ingens ſinunt ſperari. Hûc igitur pro tua virili parte contende aſſiduè: huc nava feliciter operam: neqve te qvôqvam à paternarum virtutum itinere patere flecti. Non ſatis fuerit cœpiſſe pulchrè: profliganda cœpta egregia ſunt: nec

remit-

remittendus curſus antè, qvàm perventum ad ſumma. Ita fac, *Nobiliſſime Bernharde Adolphe;* itaqve vota noſtra pro te, & patris ingentis ſalute ſuſcepta ſemper provehat Deus, ſemperqve ſecundet! Perſcriptum Wittenbergæ ad d. IV. Nonas Majas, Anno cIↃ IↃc LV.

CXXX.

HENRICO à FRISEN
S. P.

Illuſtris ac Generoſiſſime Domine, optime maximeqve Patrone.

NOn diſſimulabo dolorem meum apud te, qvem ſuperioribus diebus ingentem cepi, cùm de exceſſu ingentis viri, Friderici Metſchii, acciperem. Eſt qvidem id mortis genus luctuoſum cum maximè, qvod ante diem videtur venire, & fortibus validisqve ingruit, cum durare diutius atqve prodeſſe poſſe videbantur: ſed durum tamen & aſperum etiam eſt, privari illis, qvorum vita licet exacta, uſus & opera in Republ. tamen magni hactenus fuit. Nam & grandævos parentes, viribusq; defectos, & ſibi ipſis jam graves, boni filii deplorant, eliciente pietate lacrymas, dum ante-meritorum gratiſſimè recordatur. Ac mihi qvidem eò acerbior accidit illuſtris Viri mors; qvod magnô Patronô in eo orbatus ſum, qvi & honori meo ſemper ſtuduit, & commodis atqve utilitatibus benigne proſpexit. Sed contra fatorum torrentem inane & ſtultum non modò dirigere bra-

brachia, ſed impium atqve nefarium etiam eſt.

Κρίνειν οὐκ ἐπέοικε θεήϊα ἔργα βροτοῖσι.
Πάντα γάρ ἱερὰ ταῦτα καὶ ἀδέα.

Qvid qvod non leviter conſoletur de te, ILLUSTRIS DOMINE, mihi concepta ſpes. Qvi unus omnium ut validus virium maximè & ſuſtinendo muneri par, qvod vacuefecit METSCHIUS, ita jam olim, non falſo, ut ſpero, augurio, te ſucceſſorē ei deſtinavi. Multa per ſuperiorum temporum iniqvitatem inoleverunt, qvæ & dejicerent ſtudia, & corrumperent. Hæc niſi emendentur maturè, non deſperatius modò jacebunt literæ, ſed penitus interibunt. Qvod ubi evenerit, (avertat autem id DEUS) ſimul & artes omnes, qvibus fulcitur reſpublica, feralis illa opprimet dies. Qvod ſi graviſſimi morbi peritiſſimis medicis indigent; nec malis noſtris præſtabit remedium efficax, niſi qvi & intelligat maximè, qvid nocuit hactenus, & qvid ſalutem afferre poteſt, perſpiciat probe. Qvod ut à ſapientiſſimo juxta ac eruditiſſimo exſpectandum eſt; ita eum, aut nemo alius nobis, aut tu præſtabis. Id qvidem jam ante faſtigium tenes, ut, qvicqvid acceſſerit, non dignitatem magis augeat, qvàm curam laboremqve duplicet. Qvæ tamen neqve detrectat generoſa erectaqve mens & ſtudioſa publici boni, vel provocat ultrò ac petit. Qvare per tuum te genium, FRISI ILLUSTRIS, per omnia ſtudiorum ſacra te rogo, oro, veneror, contende,

de, annitere, elabora, qvàm potes, ut reſtituta non tantum in te videamus propediem, qvæ nobis ademta in METSCHIO ſunt, ſed ampliora etiam atqve illuſtriora, inqve id culmen conſpiciamus adducta, in qvo ſteterunt anteà, aut illi qvod proximum ſit. Nos votis interim precibusqve & fauſtis ominibus adjutabimus te, & fatigabimus Numen, ut te Statore Muſarum ac Vindice qvàm diutiſſimè liceat frui. Vale! Wittenbergæ, ad d. III. Non. Novembr. Anno clↃ IↃc LV.

CXXXI.

Johanni Sigiſmundo à Zeidler S. P.

Generoſe ac Nobiliſſime Domine

NOn inſimulabis neglecti officii me, qvòd ſcribo tardiùs. Cùm ſilui, locutus fui pro te. Qvod vel hæ literæ teſtaturæ ſunt, qvas eô mitto nomine, ut meam fidem tibi probem. Nam ſimul accepi tuas, id dedi operam, ut voluntati tuæ, qvoad liceret, facerem ſatis. Sed hic cùm reperire poſſem neminem, ex iis qvidem, qvi juri ſtudent, qvi has ſuſciperet partes juxtà & ſuſtineret; ad Vogelhauptium Dreſdam ſcripſi, cui non male hanc credi provinciam exiſtimabam. Et antè petierat ille à me, ut ſibi de tali proſpicerem munere, ſi qvæ occaſio ſe daret. Auctorqve ipſi fui, ſi placeret conditio, proficiſceretur illicò ad te ſuamqve offèrret reverenter operam, fretus auctoritate literarum, qvas tùm

tùm ad eum perſcripſeram. Sed qvid reſponderit; ex literis ejus intelliges, qvas incluſi meis. Qvod ſi qvem alium interim nactus haud ſis, qvi navet tibi, qvam petis, operam, facito, qvæſo, ut ſciam. Nam ſi de eo forteàn laboravero fruſtra, qvi juris ſit ſciens; tamen inventum iri ſperem, qvi non imprudens literarum, licèt in alio ſtudiorum genere verſatus fuerit. Mihi profectò nihil unqvam prius, nihil antiqvius fuerit, qvàm inſervire commodis tuis, tibiqve officia mea, qva licet parte, ſemper probare. Vale, *Nobiliſſime Domine*, meqve perge amare. Wittenbergæ, Nonis Januarii, Anno cIↄ Iↄc LVI. qvem tibi tuisqve felicem ominor ac fauſtum.

CXXXII.
Nicolao à Gersdorff, S. P.

Generoſe ac Nobiliſſime Domine,

AD Hildebrandium, cum rediiſſem Bredâ, ſtatim, qvod volebas, miſi, exploraturus de pecunia, qvam numerandam ipſi nobiliſſimus tuus affinis Dn. Minckvvitius curaſſet. Reſpondit ille, nondum ſe accepiſſe qvidem illud æs, ſed traditas ſibi à mercatore illo, cui numerata ſumma, literas, qvæ de accipienda poſt paulo fecerint fidem. Nec dubito nunc accepiſſe. Illud te vehementer oro, ut filio meo, cùm larem fixeris Dreſdæ, favere velis, & ipſum qvà vales gratiâ apud eum, Sereniſſimo Princi-

pi commendare: in cujus affectione propitia fortunæ omnes ejus ſunt ſitæ. Nec te facturum ſedulo dubitare fas eſt, qvi & teſtatus ſæpe es ante, qvô propenſiſſimo amore me complectaris, tùm nuper etiam, cùm ultrò me ſalutandum tibi exiſtimaſti, qvod genus officii occupare mearum partium fuerat. Favebis itaqve filio, qvi amas patrem: & commendatione tuâ efficies, favere ut alii qvoqve velint. Facilè poteſt impingere nondum peritus aulæ noſtræ, & recens admotus provinciæ: qvæ numeroſa ſanè & non auguſtè ſparſa in partes. Patronis itaq; opus eſt, qvi adſint labanti, atqve ſuſtineant. Mitto ad te in præſenti carmen monachi cujusdam, qvi non ita pridem ejurata religione Pontificia ad nos tranſiit. Qvod cum concione revocatoria, qvam vocant, edidit nullâ ante approbatum cenſurâ. Id legens incertus ſum, num riſus cachinniqve plus tibi, an ſtomachi ac bilis contracturus ſis. Namqve & totum ineptum eſt ac inſulſiſſimum, & titulus ſive præſcriptio neſcio qvid improbitatis alit. Profectò *APOSTASARE & PEREGRINARI AD VERAM RELIGIONEM*, improbô & cavillatoriò animô dictum videtur. Sed tui arbitrii ſit, legere velis, an in culinam illicô dare tergendis ſordibus, qvibus fœdè jam ante commaculatum. Generoſo Domino affini MINCKWITIO ut me commendes, etiam atqve etiam peto. Vale, Decus noſtrum, & diutiſſimè ſoſpes age! Raptim, Wittenb. ad d. iv. Id. Sept. Anno cIɔ Iɔc xvi.

CXXXIII.

CXXXIII.

Iuveni & Poëtæ egregio

Dn. Juſto Sibero

Amico ſuo S. P.

CArmen Germanicum, qvô me donaſti, *SIBERE literatiſſime*, valdè me cepit tenuitqve legentem. Perge ita, perge, & habebit patria, qvod in ſuæ partem gloriæ trahere poſſit. In *Iuvenilia tua*, en! iſtud Epigrammation, qvod boni conſules, & me amabis. Vale. Raptim, Wittenbergæ d. XII. Januarii, Anno cIↃIↃc LVII.

ÆTatem ſua qvamqve decent: non una moratur
Cura omnes: nugas hæc agit, illa ſapit.
At Iuvenes luſus, & læta & feſta freqventant:
Ætatem loqvitur Muſa Sibera ſuam.

CXXXIV.

Johanni Sigiſmundo à Zeidler, S. P.

Generoſe ac Nobiliſſime Domine,

POſtqvam mihi redditæ tuæ fuerunt, ſtatim ad Boſium alias dedi, ut voluntati tuæ facerem ſatis. Qvæ eum gravi implicitum morbo licèt oppreſſerint, qva de cauſſa neqve reſcribere potuit, per amanuenſem tamen me certiorem faciendum curavit, libros tuos pro-

 ximis

ximis nundinis futuros Lipſiæ, N. Lœfflero bibliopolæ Dreſdenſi commendandos, qvi ad te ferat. Qvod nunc ſignifico, ne neſcius eſſes. Et tu fortaſſe an anxius opperiris reſponſum. Loqvendum itaqve cum Lœfflero curabis, ut perferendi partes ſuſcipiat, & defungatur iis rectè. Avebam plura, ſed per negotia, qvibus diſtineor, in præſenti non licet. Qvod æqvô animô uteras, benigneqve interpreteris, etiam atqve etiam te rogo. Domeſticum caſum nobilitate inſitâ feres ſpe meliorum te ſuſtentans.

Ridere noſtrum ac flere temperat Deus,
Vitaqve noſtræ ſtatuit & vertit vices,
Et obſeqvi illi proprium ſapientis eſt.
Lædit, medetur, ſternit item ac erigit,
Et poſt malignos imbribusqve ſordidos,
Redire amœnos & pios facit dies.

Wittenbergæ ad d. x. Septembris Anno cIↃ IↃc LVII.

CXXXV.

Chriſtiano Daumio S. P.

Clariſſime ac erudiſſime Daumi,

Cum mihi redderentur tuæ, calculi exercebar laboribus. Qvare hôc qvoqve nomine gratiſſimæ mihi venerunt, qvod morbi dolores non leviter ſolarentur. Nam & affectus tuus adhuc integer mirum in modum me reficie-

ciebat, & *tua in Catonem* qvem voluptatum cumulum afferebant? Valde enim jam diu eum amo auctorem, & prope indignor è ſcholis pleriſqve omnibus hodie exterminatum. Sed ita ſeculum eſt: & dum ad lucra & divitias qvisqve properat, nullum virtuti & ſapientiæ pretium manet, qvô inde proficere liceat. Itaqve nobis canamus & Muſis, & ſtatuamus, peſſimè qvemqve ſuâ ignorantiâ ſtultitiâq; puniri. *De Orationibus* & *Poëmatis* meis videbo; ſi DEUS vitam & valetudinem conceſſerit: ut & *de Commentario noſtro de varianda & amplificanda oratione*: ſi modo qvid inde utilitatis adoleſcentulis exſpectari poteſt. Præcipuè, cum tu, *eruditiſſime Daumi*, & alii tecum aurem vellicent. Mitto hic tibi nunc *Panegyricum viro illuſtri* FRIDERICO METSCHIO dictum: ne planè vacuæ venirent noſtræ ad te, qvi tàm egregiis munuſculis ſtipâſti tuas, pro qvibus ſingulares tibi ago gratias: relaturus, qvamprimum nobis aliqva copia erit. *Animadverſiones Barthianas ad ſilvas Statii* mirum in modum videre qvamprimum cupio ad finem perductas. Vale, *amantiſſime & honoratiſſime mihi eruditione juxta atqve virtutibus rarioribus illis, & penè ultra ſeculi captum.* Raptiſſimè III. Eid. Decembr. Anno cIↄ Iↄc LIX.

CXXXVI.

Nicolao à Gersdorff,

Generoſe ac Nobiliſſime Domine Patrone.

NOn erit moleſtiæ,te interpellari à Buchnero tuo, qvem huc neceſſitas filiæ viduæ redegit. Debet ei E. A. S. pro victu, qvem ei maritus adhuc, cum viveret, præbuit, XXII. ni fallor,imperiales. De qvibus ſemel ac iterum appellatus,magis ſpem hactenus præbuit, qvàm dedit rem. Interim accidit, ut ex arreſto diſcederet, anteqvam rerum illarum, qvibus ſe reum fecerat, abſolveretur: ex qvo id conſeqvutum eſt,ut ad tres annos relegaretur, non ita pridem. Cumqve paulo antè obierit pater;atqve nunc ferat fama abiturum propediem in militiam filium; veretur Filia haud parùm, ne de ſolutione parum ſolicitus ſit. Cæterum accepimus, Nobiliſſimos Luſatiæ ordines annua liberalitate ſtudia ejus juviſſe hactenùs; Idcircò officioſè,qvam fieri poteſt, peto abs te, per Generoſum Dominum fratrem, Dominumqve Minckvvitium (qvibus ad omne genus officii me obſtrictiſſimum profiteor) efficere velis, ut filiæ meæ de illo ſtipendio ſatisfiat. Vix enim fuerit, ut totum illud ſic numeratum ſit, qvin tantundem reſtet adhuc, unde ſumma illa, qvæ filiæ debetur, confici poteſt. Multum æris alieni filiæ conjux reliqvit defunctus. in arcto itaqve admodum ejus verſantur res: & perqvam difficile arduumqve ei, libera-

re

re mariti fidem, & ſuſtinendis ſibi ac liberis parvulis ſufficere. Qvare facilem nobis, *Generoſe* GERSDORFFI, præbe te,& nava ſtrenuè operam, ne, qvam in te collocavimus, ſpe excidere contingat. Ita nunqvam ipſe optatis excidas, & tua ſemper rata habeat vota,qvi præſtat omnia, & viduarum ac orphanorum ſe patrem vindicemqve profeſſus eſt. Vale, *Generoſe Domine*, qvem utinam brevi hic ſoſpitem videam atqve amplectar! Spes etenim eſt, te inter Sereniſſimi Electoris comites huc adventurum. Vale iterùm, ac me amare perge. Raptim, Wittenbergæ d. XII. Auguſt. Anno CIↃ IↃC. LVII.

CXXXVII.

Chriſtiano Daumio, S. P.

ET literas tuas,& Statiana, *Clariſſime Daumi*, jucundiſſimum fuit accipere. Itaqve ſingulares gratias ago,& ut hunc pergas affectum in me, etiam atqve etiam rogo. Ad *Statianum locum* qvod eſt, ſane non conſtat ſatis ſenſus. Nam unde infinitivi illi, *exercere*, *arceſſere*, qvæſo, pendent? Et fulcimentum cum tua, tùm Barthiana correctio affert. Sed qvid ſi putemus, in illis verbis *blandoqve ſinu* nihil mendi latere, ſed potiùs poſt illa deſiderari nonnulla, qvæ eum expleant verſum & ſeqventem usqve ad illa, *jamjamqve natantes* inſtituant? Qvæ lacuna ſic poſſit expleri, ſi hariolari (hoc eſt, nugari) apud te licet:

Erexi, blandoqve ſinu foviſſe receptum
Cura fuit, leniqve manu jamjamqve natantes
Exercere genas. &c.
Sanè bono ordine, primò *erexit*, deinde *ſuſcepit* ac *fovit ſinu*, & ſomnum conciliaturus, genas pueri, qvod ſolent nutriculæ, demulſit manu, vel leniter fricuit. Habes ſomnium noſtrum. Qvod ſi ex ὀνειρωκριτικῇ vanum argues, nihil pugnabo. Vale *amiciſſime Daumi*, & plurimum ſalve. Raptiſſime d. XXII. Januarii, Anno clↃ IↃCLVII.

CXXXVIII.

Heinrico Gebhardo à Miltitz, S. P.

NOn poſſum NOBILISSIME MILTITZI, pro ſtudio illo atqve affectu, qvo te ex eo usqve tempore, cum primum veniſti in Academiam noſtram, proſecutus ſemper ſum, non vehementer lætari, qvod intellexi, non ita pridem te ex peregrinatione noviſſimoqve itinere Gallico lætum incolumemqve rediiſſe domum. Nam cum in mentem mihi revoco tot præſtantiſſimas animi atqve ingenii dotes, qvas, cùm hic ageres, probaſti nobis inſigniter; cum humanitatem ac inuſitatam modeſtiam, qvibus mirifice gratum atqve acceptum te reddidiſti omnibus: cum ingentem ardorem ac nobiliſſimum impetum, qvô in optima qvæqve & publicè ſaluberrima ſtudia ferri ſolèbas;

bas, ex facili certe colligere licet, earum pulcherrimarum & maximarum rerum te his tot annis, cùm abfuiſti, præclaras feciſſe acceſſiones, & luculentum inſtrumentum adeò virtutis, doctrinæ, prudentiæq; ac ſapientiæ ſingularis in patriam tecum retuliſſe. Qvare non lætor tantùm, ſed gratulor etiam tibi de partis abundè & comparatis illis rebus, in qvibus vera nobilitas gloriaqve unicè poſita eſt; & patriæ publicæqve applaudo rei, cui ex iſtis tuis opibus artibusqve, ſummis non ingens decus modo ac laus, ſed magna uberrimaqve emolumenta ac commoda, non tam ſperanda inpoſterum, qvam exſpectanda certò ſunt, aſſidueqve capienda. Qvibus ut longum frui liceat, atqve tu, NOBILISSIME NILTITZI, optimis ac feliciſſimis rebus perpetuo floreas, æternum Numen ſanctè veneror, obteſtor reverenter ac ſupplex oro. Gratulationem, cum pace tua, ſeqvantur preces; qvas non tam meo tibi, qvàm viduæ Coſelianæ, filiæ meæ allego nomine; qvæ alieno oppreſſa ære, qvod fecit maritus, undiqve circumſpicere præſidia, auxiliaqve emergendi & ſuperandi fortunam, neceſſe habet. De cujus acerbitate ne prolixius exponam, dolor animi facit. Qvi ne ex ipſa memoratione vires & incrementa capiat, ac ſic affligat magis, cavendum eſt. Et poteſt his partibus apud te, Sororis nepos, Ampliſſimus Dn. D. Klengelius rectius fungi. Cæterum ſuperſtites filiæ liberi tres ſunt, atqve in iis maſculi duo: qvos pro ingenii bonitate ac indolis conſecratos mirificè ſtudiis, hoc eſt, patriis artibus

cupit, Sed ut in iis ætatem eorum occupetqve ac teneat, ſumptibus opus eſt, qvi cùm tàm arctis ex rebus non ſuppetant, Sereniſſimi Electoris liberalitatem implorat, ſtipendiaqve, qvæ vocant, pro illis petit. Ut ex ſententia animi impetret, in Generoſi Gentilis tui, eminentiſſimi Domini Præſidis manu poſitum maximè eſt. Nihil non ille faciet tui cauſſa: libenterqve opitulabitur filiæ, ne qvicqvam tibi videatur negare. Qvare officioſè abs te, *Nobiliſſime Domine*, peto ac rogo, ut Domino Præſidi afflictum ſupplicis matris ſtatum, ut filiorum neceſſitatem ſalutemq; meaqve ipſius humilia vota (nam idem opto) qvàm diligentiſſimè atqve de optima, qvod dicitur, nota, commendes. Dabis hoc beati Coſelii manibus, dabis amicitiæ, qvam coluiſti cum vivo, tùm hoſpite tuo, ac ſtudiorum ductore. Ne qvicqvam de me commemorem, dabis hoc tuis ipſius moribus, in qvibus incredibilis bonitas, & mirum benè de cunctis merendi ſtudium fulget. Neqve qvicqvam magnæ ac Generoſæ animæ ſtudent magis, qvam afflictis adeſſe, qvàm manum porrigere jacentibus, & à fortunæ injuriis miſeros vindicare. Facies, facies, *Gebharde inclute*, & tibi in eo filiam, tibi natos orphanos, tibi meipſum ad omnia, qvæ à gnaviſſimo qvovis & officiorum bene memori præſtari poſſunt aut debent, arctiſſimè obligabis. Vale, *Nobiliſſime Domine*, & ſecundiſſimis utere rebus, & mihi meisqve favere perge. Wittenbergæ d. XXIX. Jan. Anno Iↄc Iↄc LVIII.

CXXXIX.

CXXXIX.

Chriſtiano Daumio, S. P.

STatiana iſta, *Clariſſime Daumi*, & cætera gratiſſima mihi fuere. Optimè igitur de me in illis meritus es. Merebereqve deinceps in majus, ſi impertieris, qvæ reſtant. Nunc qvod reponam, nihil habeo, qvam jambos iſtos deſtinatos ſolennibus proximis Paſchæ. Qvos absqve tædio ſi poteris legere, magnam laudem æſtimabo. Vale, & optimarum literarum cura ſtrenuè perge ſeculum noſtrum tibi obſtringere. Vale iterum, *Eruditiſſime Daumi*, meqve ama. Raptim Wittemb. d. XI. April. An. cIↄ Iↄc LXVIII.

CXL.

Abrahamo Schulteto,

Scholæ Lub. Rectori digniſſimo

S. P.

Clariſſime ac literatiſſime VIR,

NOſti ſenectutis tarditatem ac frigus: itaqve minus miraberis; & dabis facilè veniam, qvi Majo demum menſe ad tuas reſpondeo, qvas anni ſuperioris Novembri dederas. Cæterum bene collocaſti operam ſtudiumqve, qvæ continuandæ *Syntaxis* exemplari voluiſti impendere. Et qvomodo improbem, qvi ſimilia uti capeſſerent, jam dudum aliis auctor fui?

Ma-

Macte hoc animo, & perge conſulere primæ ætatis ſtudiis. Qvæ ſi rectè conſtituta & ordinata fuerint, eò feliciùs nobiliusqve juventus proficiet. Ad exempla qvod attinet, vellem adduci ſententias integras auctorum veterum & claſſicorum, adſcriptis nominibus, ut fidei & auctoritatis plus habeant: præcipuè qvæ præceptum utile ad regendos formandosqve mores contineant, vel de præclara aliqva re & ſcitu digna commonefaciant diſcentes. Deligi & tales poſſunt, ubi vocabulum aliqvod rarius, ceu gloſſa aliqva, ut vocant magiſtri, aut phraſis reconditior, inſit. Namqve cum puerorum memoria maxime tenax ſit, facilius hærebunt talia, ne excidant. Non negligentur & illæ, ubi hiſtoria & fabula aliqva alluditur. Nam tales hiſtoriolas non ignorare, eruditionem auget & ornamento eſt. Hac ratione inter ipſa rudimenta prima ad virtutem, ad literas, ad eruditionem acqvirendam, qvaſi aliud agendo præparatur animus puerilis, cum interpretantis Præceptoris induſtria ſolertiaqve accedit. Et poſſunt inveniri ſententiæ iſtiusmodi, qvibus omnia iſta aut pleraqve inſint. Tale illud Publii Syri:

Frugalitas inſerta eſt rumoris boni.

Ubi & ſalutarem commendationem *frugalitatis* habes, & gloſſam: *Inſertam* enim pro Emblemate dixit, qvod vocabulum rarius eſt. Cato ait:

Gratior officiis, qvò ſis mage charior, eſto,
Ne nomen ſubeas, qvod dicitur, officiperdi,

Hic

Hic & bonam ſententiam habes, & gloſſam *officiperdus*: & illud græcanicum, *mage charior*, pro charior. Nam Græci comparativis τὸ μᾶλλον addere ſolent: qvod imitati Latini *magis* adjiciunt. Apud Senecam Tragicum in *Agamemnone* legimus:

---- Ubi Helena eſt, Trojam puta.

Hic ad *Helenæ* & *Trojani excidii fabulam* reſpicitur, ſimulqve ingeritur monitum iſtud: *ubi peccandi occaſio eſt, ibi & pœnæ locus eſt.* Tales ſententias *Publius Syrus*, *Phædrus*, *Catonis Diſticha*, *Tragœdiæ Senecæ*, & præter hos *proſæ ſcriptores* facile ſuppeditabunt. Qvod moneam amplius, nihil eſt. Tu provinciam tuam perge egregiè, qvod facis, tueri: & auſpicatò matrimonium ini, pro qvo & paucos verſiculos ſcripſi, qvos benè conſules. Vale & me amare perge. Raptim, Wittenbergæ d. VI. Maji Anno cIↃ IↃC LVIII.

CXLI.

Johanni Davidi ab Oppel S. P.

NEc exoptatiores mihi abs te venire literæ poterant, qvàm factum noviſſime, nec ego ſuccenſere gravius fato meo, aut planè iraſci, qvàm fieri in præſenti neceſſe eſt. Nuptias tuas indicas: qvid nuptiarum nomine dulcius? Invitas ad eas me & meos: nihil humanius poteras. Et tanto affectui tuo reſpondere, ut vis, & ſeqvi vocantem ſvaviſſimè, qvàm di-

gnum ac juſtum, qvàm mei omninò officii erat? O nunqvam liberos ſatis, & ſuæ ſpontis, qvibus cum valetudine malè convenit. Qvi Hippocraticis, ut ita loqvar, adſtricti vinculis non ampliùs poſſunt prorepere, qvam laxamenti ab illis datum fuit. Nitebar perrumpere, & intervenire auſpicatiſſimis veſtris ſolennibus: ſed illicò mihi Rhamnuſia mea; *qvid miſer molìris & ſtulte? qvò fugere pergis, & male-pedatus, & corporis æger? Durare talis inter Genii ſacra aut chorearum pompas locum habere præſumis, qvi in Hipponactei carminis habitum incedere ſoles?* Tàm acerbè admonitus meminiſſe incepi meæ ſortis, & noſſe ſeriò, qvid ferre valerent humeri, qvid recuſarent. Fateor tibi dolores meos, invitus reſtiti: & emicantem Wurzenam ingratis me Wittenbergenſis retinuit carcer. Qvid facerem igitur? Ne totus abeſſem, perferendæ legationis pro me negotium meæ Muſulæ dedi. Qvi licet nulla nuptialis cultûs elegantià nitida commendare ſe poſſit, & ab ætate deformis (vetula qvippe, & peraratà frontem rugis) extra gratiam ſit, non penitus eam tamen faſtidies aut ſpernes. Neqve hoc poſcit, ut inter legitimos ſplendenteſqve convivas diſcumbat ſordida: ſed ſe felicem putabit ſatis, ſi umbras inter aut acroamata non docta illa ac lepidiora; ſed trivialia iſta & inficeta aliqvem locum reperiat. Qvod ſi nec eo putabis dignam, faceſſere jube & vel furcillis ejicito, ſi placet, ut inconſultæ temeritatis pœnat det, qvæ ſibi imponi paſſa eſt, qvæ tueri non poſſet. At tu cum Nobiliſſima

Spon-

Sponſa deliciis omnibus, beatitatibus omnibus fruere, qvas promittere novi thalami ſvavitas, aut feliciſſimorum conjugum præſtare poteſt conditio. Fruere, inqvam, & iterum iterumqve vale, NOBILISSIME OPPELI, & Virum age. Wittenbergæ d. XVII. Maji, Anno cIↃ IↃc LVIII.

P. S.

Putabam Pronsdorfium Saturni proximo profectum Dreſdam, cùm ecce ſtudioſus præſens hoc ipſo mane accedit ad me, ſignificatqve nondum abiiſſe, ſed id facturum poſt paucas horas, ſeqve iterum unà literas perlaturum. Qvare, qvæ adperendinum Lipſienſi itinere Wurzenam eram miſſurus, nunc mutato conſilio Dreſdam mitto, uſus occaſione, qvam ornatiſſimus adoleſcens ultro offerebat; Qvum te adhuc apud Generoſum Dn. Parentem, qvem reverenter & officioſè meo nomine ſalutabis, moraturum planè eram perſvaſus. Atqve putabat lator ſe beneficio affici, dum perferendi & te ſalutandi officio ſic poſſet defungi. Vale! Raptiſſime, Wittenbergæ, d. XVII. Maji, Anno cIↃ IↃc LVIII.

GENE-

GENEROSO
NOBILISSIMORUM SPONSORUM
PARI,
Johanni Davidi ab Oppel
ET
Mariæ Juſtinæ Döringiæ,
FELICITER!

TOt votis optatus Hymen preciluſqve petitus
Advolat, & toto tandem comitatus Olympô
Feſta parat, jungitqve toros geminasqve ſubinfert
Ipſe faces, lætum thalamis coëuntibus omen,
Et niveâ caſtaqve manu ſocialia nectit
Vincula, non ullô ſolvenda atri impete fati,
Non, qvantas irata hiemes fortuna minetur,
Triſtiaqve infidâ jaculetur fulmina dextrâ.
Deſcendunt omnes ad feſta Jugalia Divi,
Et terram cœlo anteferunt, qui ſidere læto
Dum thalamis ſolenne favent, plenâqve refundunt
Dona manu, feſtâ lauru præcinctus Apollo
Fila movet, roſeaqve hæc, applaudentibus aſtris
Ore jacit modulans: Juvenis ſate ſangine claro,
Et dudum ſacrate mihi; tuqve incluta virgo,
Iungite concordes æterna in fœdera dextras.

Iun-

Jungite jol Veſtris felicia ſidera tædis
Omina agunt, niveasqve exſpondent ordine luces,
Et placidum nulla temerandum nube ſerenum.
Aſpice, votorum felix, promiſſa puellæ
Ora tibi, gratumqve genis mirare pudorem,
Sidereumqve decus. Cognatæ gentis honorem
Æſtima, & unius tacito tot pectore dotes
Dinumera. Talis Cythereide miſta renidet
Pallas: tergemino talem ſe Gratia nodo
Olim infert, feſtasqve inſtaurat trina choreas.
Nec minus hæc vultusqve tuos, lætamqve juventam,
SPONSE, tueri ardet, cultæqve bona ardua mentis,
Et faciles numeros, & blandi carminis artes
(Victa qvibus dudum ceſſit tibi, pectore toto
Vulnus alens, dulcemqve intus confeſſa dolorem)
Adſtupet, & cunctis te unum, clariſſime, præfert,
Nobilitas qvos docta ornat, qvos curia qvondam
Allectura ſibi eſt, aularum aut culmina poſcunt
Qvæ mox, SPONSE, tibi, me non mendace, pateſcent,
Vate, ultrò, celſæqve addent tibi laudis honores,
Qvales emeruit Genitor, ſocerive recenſet
Gloria vel decantat Avi pia fama ſepulti.
Atqve hinc DOERINGI decus, hinc OPPELIA virtus
Invitat, blandaqve trahit vi ſponte ſeqventes.

Cedite funerei luctus, & qvicqvid amari
Urit adhuc mordetqve animos. Iam læta ſubintrant
Gaudia, jam clamatur Hymen, qui vina jocosqve,
Ridentesqve ſales, atqve omnia dulcia qværens,
Mæſta horret, triſtesqve fugit, mala nomina, curas.
At tu ſancta veni, placidisqve allabere pennis,
Exſpectata qvies, toto tibi Veſperus aſtro
En favet, & gratas Nox bnnuit alma tenebras.
Ut, qvos compoſuit ſponſos, lux orta maritos
Excitet, & lætis ſoletur utrumqve parentem
Omnibus; trepidoqve licet confuſa pudore
Promittat dulces verax IUSTINA nepotes.

CXLII.

Chriſtiano Daumio S. P.

Clariſſime Virorum,

PEſſimis modis me podagra calculusqve habuerunt hactenus: neqve nunc ſatis recreatus ſum ex iſtis malis. Namqve tumor pedes tenet, & langvor corpus occupat, & pituita gravat caput. Qvid mirum in iſta ætate, qvam nunc in ſeptimum & ſexageſimum annum jam ultra dimidium confectum produxi? Qvô fit, ut & reſpondeam paucis, & de *Cantone*

non

non ſatisfaciam. Tardior ad omnia ſum, & otium cum planè ferre non poſſim, neqve laborem tolero,& tædet ſtatim,ſi qvid ſuſcepi. Cùm melior leviorqve ero, navabo operam, ut locum tribuam tuæ petitioni. Habeo enim qvædam notata ad illum optimum auctorem, de qvo Boxhornium olim noſtrum aliter vellem ſtatuiſſe. Sed de hoc alias fortean,uti & cæteris, qvorum in literis tuis mentionem faciebas. De Statianis gratias ago. Non leviter illorum lectio morbum meum levavit. Scribis,te proximis nundinisLipſiæ fuiſſe. An inviſiſti ad Barthium noſtrum?Et ſi feciſti,qvid valet,qvæſo,qvid agit? Ego verò & rectè & feliciter opto. Vale Wittenbergæ ad d. VII. Junii,Anno clɔIɔc LVIII.

CXLIII.

Nicolao à Gersdorff S. P.

Generoſe ac Nobiliſſime Domine
GERSDORFFI,

NOn diſtuli interrumpere tandem ſilentium meum, & dare iſtas ad te, cum tam bella occaſio eſſet. Qvamvis enim nihil magnopere eſſet, qvod ſcriberem ; oſtendendum tamen erat, me adhuc colere & venerari virtutes illas ingentes, qvas in GERSDORFFIO *meo* amâſſem vehementer jamdudum & magnifeciſſem. Teſtari qvoq; oportuit,qvid voluptatis ac gaudii ceperim, cùm *ſplendidiſſima graviſſimaqve Legatione ad Sereniſſ. Sveciæ Re-*

gem te audirem defunctum. De qva cognoſcere plenius ex temet ipſo ac diſcere, cui voluptati, cui lætitiæ, qvæſo, erit? Hi ſunt, GERSDORFFI, hi ſunt exantlatorum in ſtudiis laborum vigiliarumqve fructus illi, qvorum dulcedo ac vis in eos haud tantum, qvi pepererunt ſibi; ſed ipſam in patriam qvoqve, nec non commune omnium bonum, cum fœnore gloriaqve redundant. Debes hoc qvidem excellentiſſimo ingenio tuo, induſtriæqve virtutis maximè: Si eò tamen & ipſemet olim contuli aliqvid, qvàm parum fuerit deniqve, qvam gratulari mirificè me putabis mihi de eo? qvam conſolari indè & recreare hoc ſenium meum! Cujus debilitas ut magnam ſpem atqve fiduciam in ſtudio tuo benevolentiaqve in me ſibi poſitam habet; ita eam mihi ut conſerves conſtanter, & tuearis, etiam atqve etiam contendo ac peto. Vale, *Decus noſtrum*, GENEROSE GERSDORFFI, & illuſtribus ac Generoſiſſimis Dominis, Dominis FRISIIS, me, niſi grave, commenda. Vale iterum & de Republica patriæ, ut cœpiſti, præclarè ac benè mereri perge, & bene cupere Buchnero ne deſine. Wittenbergæ, III. Idus Junias. Anno cIↃ IↃC LVIII.

CXLIV.

Chriſtiano Daumio S.P.

Clariſſime & Eruditiſſime Daumi,

PLuribus occupatus, paucis reſpondeo in præſenti, futurus prolixior, cùm vacavero ma-

magis. Ad *Catonem* qvod eſt, communicabo qvæ habeo in eum, libenter tecum, qvandoqvidem ita vis, per partes tamen; nam omnia ſimul excerpere & ad te mittere, vix otium erit. Qvanqvam vereor, ne tandem tacitus tecum: *hæc tanti non erant.* De nobiliſſimo Barthio qvæ narras, nihil miror. Senum hæc ſunt, & ejus ætatis, qvæ proſpicit metam, qvin metæ proprior eſt.

Optima qvæqve dies miſeris mortalibus ævi
Prima fugit.

Nôſti, qvæ ſeqvuntur: Ego etiam meos patior manes, cui ſeptimus & ſexageſimus annus ad finem decurrit. Feramus mortalia mortales, & interim agamus *unum illud, qvod neceſſarium.* Vale optimè, *optime Daumi*, & me perge amare. Raptim Wittenbergæ prid. Id. Jul. Anno CIↃ IↃC LVIII.

CXLV.

Eidem S. P.

Clariſſime atqve Chariſſime Daumi,

DE illuſtris viri communisqve amici, CASPARIS BARTHII, obitu jam intellexi, cum Dreſdæ non ita pridem agerem. Qvem, prout debui, mœſtus lugensqve accepi. Qvô lumine enim decoreqve in eo orbata eſt patria? Qvod columen literæ præſidiumq; amiſerunt? Sed hæc conditio noſtra eſt: *incipimus, ſimus, deſinimus:* licèt duremus in LXX. aut plures annos, tandem tamen decedendum ſcenæ eſt, & egrediendum ex iſto theatro. Et be-

nè habet, ſi aliqvis plauſus nos ſeqvitur, & partes actæ recordationibus bonis celebrantur. Qvod Barthio noſtro abundè contigit: cujus gloria & laus non niſi cum literis ipſis intercidet. Simul atqve de fine ejus accepi, magnitudo affectus hoc *Epigramma* mihi expreſſit:

Portentum ingenii, nullum qvo vaſtius æqvor;
Ille animus capere & cuncta tenere potens;
Cui Muſarum omnes ſcopulos ſuperare, & in ipſo
Vertice Parnaſſi ſiſtere poſſe datum;
Atq; omnem doctrinæ abſolvere, qvà patet, orbem,
BARTHIUS hic tandem verſus in oſſa jacet.
Phœnicem orba ſuum Germania plorat ademptum,
Et novus ex cinere hoc an mihi ſurget? ait.
Vera times, mater: tamen haud intercidet omnis
BARTHIUS: Ingenio nulla ruina venit.

Impar eſt carmen maximi viri meritis, nec implet affectum, qvô proſecutus ſuperſtitem ſum: appoſui tamen, ut de conatu tantùm & voluntate mea aliqvid conſtaret. De valetudine tua invitiſſimus accepi: qvâ meliore & proſperiore te uti deinceps voveo unicè, & qvantum poteſt, Deum precor. De Statianis ago gratias. Sed mone, qvæſo, *Anime mi*, qvis auctor illius Programmatis eſt, qvo funus BARTHII Lipſiæ indictum? An Kromayerus; an qvispiam alius eſt? Nam Franckenſteinium non puto. Solent venuſtius atqve politius dare illius Muſæ. Vale, *amiciſſime Daumi*, & bene ſo-

ſoſpes diu perge mereri optimè de Muſis noſtris, qvibus à te non parum præſidii eſt. Vale iterum, & me ama. Wittenbergæ. Raptim. Calendis Novembribus, qvo die LXVII. annum ætatis claudo. An. CIↃIↃCLVIII.

CXLVI.

Clariſſimo Viro,

JUSTO SIBERO,

Amico Amantiſſimo

S. P.

DE *Juvenilibus Tuis*, qvibus donare me voluiſti, multum te amo, *SIBERE Clariſſime.* Mirifice eorum me lectio afficit, laboresqve ætatis ſolatur ac levat. Benè auſpicatus famam es; non deerunt, crede, qvi plaudant ac faveant, & iſta dum legunt, non levi eorum accendantur deſiderio, qvæ de virilitate tua ſibi promittunt. Perge benè mereri de ſeculo, & elabora etiam pro te, ne ἄμϐσον illud & parùm elegans videatur. Sed audi, *mi SIBERE!* dic qvæſo, num me, cum Dreſdæ eſſem nuper, videris? Idqve in ædibus Voigtianis? Nam cum ad Dominum viſerem, & puerum ad fores interrogarem, numqvid domi herus eſſet, aderat unà obeſulus qvidam, honeſtâ facie nitideqve atratus, qvi ſtatim obtulit operam, & proxima comitate me introduxit ad eum, qvem volebam conventum. Nondum didiceram in illa familia agere te. Sed cum de eo ipſemet Dominus VOIGTIUS (non ſine honorifica tui men-

tione) me docuiſſet; tum illico mecum in animo tacitus: qvid ſi is ipſe deductor tuus, SIBERUS fuit? Rectenè an perperam ego conjecerim, Tu explicabis. Qvod ſi res fuit, qvid diſſimulâſti perſonam, & me privaſti voluptate, qvam ex amplexu tuo potuiſſem carpere? Flachſio tuo non deero, ſi qvid me volet. De carmine qvod poſcebas & ſatisfacio. Satisfacio dico? Hoc nimium eſt: Et qvid id ſperem, qvem ſangvis ſenectâ frigidus in elegantias leporesqve Muſarum caleſcere non ſinit. De Dn. VOIGTIO qvæ ſcribis, grata ſunt. Non parvi æſtimo tanti viri judicio probari, cujus jamdudum præclaras dotes atqve virtutes veneror ac prædico. De editione orationum mearum propediem ut ſpero, ad ipſum ſcribam. Interim optimè valeat ſalveatqve. Tu qvoqve, *Clariſſime SIBERE*, vale, & me perge amare, Wittenbergæ Nonis Novembribus, Anno CIↃ IↃCLVIII.

CXLVII.

Chriſtiano Daumio S. P.

QVi ultimas tuas attulit, monuit meos, ſi qvid vellem ad te, intra triduum id maturandum, tum enim certò ſe profecturum. Qvem qvia abiiſſe exiſtimo (neqve enim hominem vidi interim) has Lipſienſi ad te volui viâ. Cauſa ſcriptionis hæc maximè. Ipſi duodecim anni ſunt, qvòd beatus Barthius noſter manu

manu deſcriptum Plinianarum epiſtolarum codicem utendum mihi in certum diem permiſit. Qvi cum præteriiſſet, petii ab eo, ulterius eo ut uti liceret. Dedit ille hanc veniam eâ mihi benignitate, ut bona ſua cum pace, manſurum mecum librum eſſe perſcriberet, donicum ipſe revocaret. Qvâ liberalitate ejus uſus an abuſus hactenus retinui codicem in hoc ipſum tempus usqve. Ipſe codex in folio, ut loqvimur, in membrana ſcriptus, Longobardicis literis; ſed ejus characteris, qvi ad ſeculi noſtri elegantiam proximè accedat. Qvod ſanè parum antiqvum arguit; adeò qvidem, ut vix ante inventam typographiam exaratum crediderim. Et lectio à vulgaribus literis vix unqvam abit. Qvædam epiſtolæ tamen ordinatæ aliter ſunt, qvod in margine, non ubiqve & ſemper tamen, notavit Barthius noſter, & ſi qvæ in *Adverſariorum commentariis* tractavit, qvod ſemel tamen omninò eſt factum. Aliud nihil in toto libro invenitur è manu ejus. Ipſum codicem à Thoma Creſſio Doct. dono accepit, ut inſcriptio indicat. Hæc bonâ fide ad te, ne neſcius eſſes, imprimis, ſi forteàn liber digerenti tibi reliqvias bibliothecæ Barthianæ deſideraretur. Qvod ſi nobiliſſima vidua pati poſſet, planè tranſire in meum jus, ut eſſet mnemoſynon amicitiæ cum marito cultæ; valdè ipſam amarem. Sin redempturus pretio aliqvô ſum: & offero ei ſcutatum unum. Qvanqvam, ſi meritum ejus videas, tanti non ſit. Nam à vulgari ſcriptura, ut ſupra monui, vix abit le-

ctio: atqve ſi abit, deterior fermè atqve corruptior eſt. Qvid qvod totus octavus, & totus decimus deſiderantur: ut & non paucæ epiſtolæ in cæteris libris. Qvanqvam igitur facile eo carere poſſum, tamen, ut habeam, qvod ſummi & amiciſſimi viri memoriam excitet, ægrè amitterem. Qvid exſpectandum mihi ſit, qvam primum me certiorem facias, rogo. De manibus Barthianis laudo propoſitum. Impudentiam de L. merito deteſtor. Extorqvenda præda accipitri illi eſt, ut, ſi retineat, ne ſeſe inde corniculam Æſopeam concinnet. Superiore æſtate qvidam album ſuum mihi obtulit, ſimulqve ſalutem dixit à Barthio, multa de ejus in ſe affectu & interiore familiaritate commemorans. Ni fallit memoria, is ipſe fuit. Non deeritis jus veſtrum contra ipſum urgere. Vale, *optime & amiciſſime Daumi*, in multos annos. Wittenbergæ d. *xix*. Nov. Anno ↀ Iↄc LVIII.

CXLVIII.

Abrahamo Sculteto S. P.

Clariſſime Vir, Amice honorande,

Cum ex itinere Dreſdenſi ac Fribergenſi Octobri proximo rediiſſem domum, tuas offendi. Qvibus adjunctæ paginæ tuarum in Nepotem meditationum erant. Qvod nunc reſpondeo demum, hoc eſt, ſerius qvam debebam,

bam, partim occupationibus meis factum eſt, partim ætatis vitiô. Noſti enim & tardiorem ſenectutem natura, & obliviosam eſſe; Qvare, ut ignoſcas, etiam atqve etiam rogo. Cæterum ad inſtitutum tuum qvod eſt, probo id modis omnibus, deprædicoqve hoc ſtudium de adoleſcentia merendi benè: Non alius auctor commodius proponi adoleſcentibus Nepote poteſt, unde auſpicentur Latini ſermonis ſtudium. Candidus, terſus, facilis eſt, & qvi non temerè crucem aliqvam figat. Laudo itaqve exorſa rectè, teqve adhortor, ut pergas ſtrenuè feliciterqve abſolvas. In verſione id dandum operæ maximè, ut Latina verbis propriis & ſignificantibus, qvàm fieri poterit, reddas. Deinde ut in vertendo Latinorum verborum ſerves ordinem maximè, ut vim illorum pueri capiant. Sed qvia neceſſe eſt fieri, ut verſio talis Germanicæ lingvæ proprietatem parum tueatur, tùm ſubjicienda alia eſt, qvæ ei plane reſpondeat, ut lingvæ utriusqve indolem diſcentes rectè cognoſcant. Exempli gratia in præfatione dicitur: *Non dubito fore &c. qvi hoc genus ſcripturæ leve & non ſatis &c.* Ordine vertes; Welche dieſe Art zu ſchreiben liederlich und nicht gnug würdig groſſer Leute Perſonen ſchätzen werden. Sed qvoniam iſta noſtri ſermonis proprietatem male ſervant, talia potes ſubjicere: Welche davor halten werden / daß dieſe Art zu ſchreiben etwas liederlich ſey / und der Perſon groſſer und vornehmer Leute nicht beykomme. Hoc qvoqve ſtudendum, ut ſimpliciſ-

ciſſima ſit verſio, imò & circumlocutiones maximè vitet. Qvod ita tamen intelligi velim, ut uberioribus expoſitionibus etiam qvandoqve relinqvatur locus, qvod ad copiam faciet. Exempli gratia, ibidem legimus: *Hi ſi didiciſſent &c.* Tu reddis: Wann dieſe wüſten &c. malim: Wenn dieſe gelernet hätten/ (ita enim verbum diſcere exprimitur:) oder wenn ſie wüſten ꝛc. Et mox: *Non admirabuntur, nos &c.* Tu; würde ſie es nicht wunder nehmen. Ego malim: würden ſie ſich nicht wundern / oder / es würde ſie nicht wunder nehmen &c. Ibidem *Victorem Olympiæ citari &c.* Ubi tu qvidem ſenſum exprimis, non verba peræqvè; nam τὸ citari planè præteritur. Malim igitur; Wann man in denen Olympiſchen Ritterſpielen für einen Obſieger ausgeruffen ward: oder wer gewonnen oder obgeſiegt. In ſingulis verbis vocabulisqve Latinis diligenter conſideranda eorum vis eſt, & qvò qvàm maximè ſpectent atqve pertineant. Qvod non usqveqvaqve video præſtitum. In eadem præfatione: *Qvis Muſicam docuerit Epaminondam*: ubi Muſicam interpretaris die Singe-Kunſt: qvod vocabulum partem tantùm (harmonicam putà) non totum exprimit. Non commodè enim hâc voce exprimi illa pars poteſt, qvæ organis conſtat, & flatu, vel pulſu conficitur. Qvam tamen Cornelius reſpicit maximè. Mox enim *Epaminondam* refert *ſcienter cantaſſe tibiis.* Mallem igitur: wer den Epaminondas die Muſic gelehret. Nam qvamvis vox iſta peregrinæ originis ſit; jam-

jamdudum recepta illa tamen in noſtram eſt civitatem. Et qvotusqvisqve vel rudiorum ignorat, was Muſic ſey? Ibidem: *Exponendis virtutibus Grajorum* &c. Tu: indem ich mich der Griechen Tapfferkeit zu beſchreiben unterfangen. Sed hoc in loco virtutum vocabulum latius patet, qvàm *fortitudo* aut *ſtrenuitas* (Tapfferkeit) intelligi poteſt. *Virtutis* enim nomine illud omne hic venit, qvod apud Græcos *laudi eſt, honeſtumqve ducitur, ſive virtutis loco habetur & numero, ac decorum putatur.* Qvo pertinet etiam, *ſaltare peritè, ſcienter canere*, & alia hujus commatis. Poſſis itaqve: daß ich/indem ich von der Griechen Thun erzehle/auf ihre Sitten/ und was bey ihnen für tugendhafft un̄ lobwürdig gehalten/mein Abſehen gerichtet. Poſſes ſimplicius; ihren Sitten / und was ſie vor tugendhafft und löblich gehalten/gefolget habe. Notæ neceſſariæ ſunt: ſed breviſſimas & ſimpliciſſimas eſſe oportet: procul omni citationum cùm auctoritatum, tùm exemplorum apparatu. Philoſophica, & qvæ ad civilem aut militarem prudentiam pertinent, vix attingenda putaverim. Pueris & adoleſcentulis hæc deſtinata opera eſt: qvorum tenere mentes hæc talia haud capiunt. Qvæ ad mores formandos pertinent, non planè prætermittenda. Hæc incidebant legenti tua: qvæ ſi probaveris, benè locata erit hæc ſubitaria opera; ſin; me ſolabitur tamen, me noluiſſe tibi deeſſe. Vale! Raptim Wittenbergæ d. VII. Decembr. Anno cIↃ IↃc LVIII.

P. S. *Unum oblitus ſum monere, anno altero* ao-

abhinc Virum Clariſſ Ioh. Andream Boſium Hiſtor. Prof. P. in Academia Jenenſi edidiſſe Nepotem: adjeciſſe Notas & aliorum & ſuas; Indicem etiam locupletiſſimum verborum & phraſium cũ explicatione, ubi opus fuit. Qvi ſi nondum penes te eſt, facio ut ſit. Nam maximopere tuo propoſito ſerviet.

CXLIX.

CAROLO à FRISEN.

Illuſtriſſime Domine,

OPto precorqve, ut & qvem nuper ingreſſi annum ſumus & plurimos alios, qvàm feliciſſimos agas, partamqve virtutis florentemqve gloriam aliis ſuper alia operibus, perpetuisqve incrementis laudum augeas fortis atqve incolumis, decus ac ornamentum Reipubl. juxtà ac fulcrum. Votis peractis id oro demiſſè, communi nomine, ut Academicum negotium, qvod commendavi tibi nunc nuper, benevole cures. Nihil hic damus invidiæ, nihil odio. Publica agimus commoda, & ne in aliqvod diſcrimen, dum inveterata ſolicitamus, Academiæ adducatur ſtatus, labefactatus jamdudum ſàtis, cavere volumus. Mihi qvidem non multum reſtare vitæ poteſt, & fortean meta in proximo eſt, octavum & ſexageſimum annum agenti: Qvare id natum ætatis contendere velle cum qvopiam nimis, turpis ambitio videatur: cum potius fuerit cogitare momentis ſingulis de fine, & ut hanc vitæ fabulam ſine tumultu ac turbis placidè claudam, operam navare. Ac noſti, DOMI-

NE,

NE, mei ingenii morem, & qvam in iis minimè ſtupeam, hoc eſt, non ſupra modum admirari ſoleam, qvæ multi mortales prima omnia habent. Et vero qvid intereſt valde, primue an ſecundus eam? unus & idem ubivis eam. Aliis tamen hic dandum aliqvid fuit, qvi æqve laturi haud videbantur loco detrudi. Homines ſumus; humana patimur. Et minimè latet prudentiam tuam, qvid uſu venire animis ſoleat dolore abreptis. Theodoſii & Valentiniani Impp. præcipit lex, ut Jurisperiti haud tantùm, verùm Grammatici etiam & Sophiſtæ ſive Rhetores, qvi xx. annos docuiſſent Conſtantinopoli publicè, induſtriamqve ſuam ac mores approbâſſent, honorarentur, & his, qvi dignitatis vicariæ, hoc eſt, Comitibus connumerarentur. At ſunt in ordine noſtro, qvi non xx. annos, ſed bis viginti & plures etiam hoc profeſſorio munere defunguntur. Nihil dicam de me, qvi hic docentium publicè antiqviſſimus omnium ſum; nam Franckenbergerus Hiſtoriarum Prof. in tertium annum & qvadrageſimum; Nottnagelius in qvartum atqve viceſimum: Oſtermannus atqve Pompejus in alterum atqve viceſimum docent. Qvare non iniqviſſimum videri poterit, ſi horum aliqva habeatur ratio, atqve plus tribuatur aliqvantò illis, qvàm qvi docendi partes aut heri aut nudius tertius auſpicati. Sed pro divina ſapientia tua videbis, ILLUSTRISSIME DOMINE, qvid è re Academiæ fuerit maxime, & qvid de iis faciendum ſit,

qvi

qvi tamdiu in Academia militârunt. Mihi,qvomodocunqve ceciderit res, neqve augebitur animus, nec minuetur: atqve hoc agam potius, ut qvem tenuero locum, pro viribus ornem, qvam ut cum qvoqvam de eo magnopere certem. Vale, Mecœnas optime, maxime, & ſoſpes age ac felix publico bono! Wittenberg. die xx. Jan. Anno cIↄIↄc LIX.

CL.

Johanni Davidi ab Oppel S. P.

LIteris tuis nihil humanius, nihil amicum magis potuit venire. Scribis gravem fuiſſe moram, qvæ à ſcribendi officio invitum & reluctantem diſtinuerit: & tu juſtiſſimè poteras accuſare ſilentium meum, qvi nondum ad tuas reſpondiſſem, qvod ſanè humanitatis cujusdam ſingularis eſt. Qvod ſi, ut vetus illud Græcorum habet, Κοινὰ φίλων πάντα eſſe debent, amicè ſane feciſti, qvi dolores tuos domeſticos communicare mecum voluiſti. Ac doleo ſane, ſpem primi pignoris abortu triſti interceptam vobis: Sed matrem ſervatam tamen, ægrè licèt, & tibi ſuperſtitem eſſe, merito lætor & gratulor, precorqve adeò, ut tantò uberius vos ſecundæ prolis felicior ortus exhilaret, qvò primæ abortus gravius afflixit. Ad me qvod eſt, ſcias licet, ſic ſatis me valere pro modo ætatis: neqve habere magnopere, qvod mea cum ſenectute expo-

expoſtulem. Qvod ſi ſtipendia procederent recte, qvæ nunc in annum tertium ceſſant, ſatis pro mediocritate votorum meorum beatus mihi viderer, niſi qvà publica ſolicitum habent. Nam qvid de rebus Danicis ominabimur tandem? Et dant ſe alibi etiam ſigna, unde non ſanè augurari lætiſſima licet. Sed qvid de Moguntino habes? in qvem Pontificem excommunicationis moliri fulmen Argentoratô perſcribitur. Qvem, qvod Præfectus Wurceburgenſis arcis advenientem admittere noluit, qvod monſtrum alit? Benè tamen, qvod Dominus ſervum exegit, & in locum ejus Comitem Hohenlohium (ita Argentinenſes literæ ſignificant,) hominem religioni Lutheranæ addictum ſuffecit, ita qvidem, ut Eccleſiaſten eorundem Sacrorum haberet ſecum. Fama eſt H. apoſtatam Cardinalem ejus inhiare fortunis. Si qvid de iſtis certius, & alia habes ſcitu non indigna, iis ut impertiri me comiter velis, etiam atqve etiam rogo. Sed qvis Paſtorius ille eſt, qvi Europæo-Germanicum Florum nuper edidit? Qvem titulum qvo jure chartis ſuis vindicare poſſit, non video. Titulos rerum geſtarum, non epitomen dedit. Diarium, non hiſtoriam ſcripſit. Et qvid, ſi alienum fœtum ſubſtituit? Sunt enim penes me pagellæ aliqvot, ante hos decem annos exſcriptæ typis: in qvibus omnia illa continentur, qvæ nobis jejuni hujus annales (ſi ita appellare fas eſt,) ad annum 1649. exhibent. Ubi tamen mutavit pauca qvædam aut addidit, qvæ ambitionem

ſcriptoris facile arguant. In reliqvis, qvæ dedit unà, qvid niſi actuarium egit? Vale cum tua, & me perge amare. Wittenbergæ, d. xxiv. Februarii, An. cIↃ IↃcLIX.

CLI.

Abrahamo Schulteto, S. P.

Clariſſime Vir,

TUa Nepotis verſio ac interpretatio cum piſciculis & unciali argento, rectè ad me perlata ſunt. Munuſculis illis nihil opus erat. Grata tamen ſunt, qvia à te. Imprimis verò, ſi citra incommodum tuum ad me fuerunt permiſſa. De editione Nepotis tui locutus cum Dn. Balthaſare Mævio ſum, qvi mihi non parum ſpei fecit. Hoc addidit tamen prelo antè ſubjici haud poſſe, qvàm novum Teſtamentum, qvod ſub eodem jam ſudat, ad finem fuerit perductum. Interim relegendi, qvòd volebas, ſpatium erit. Hoc volebam, neſcius ne eſſes. Vale. Raptim Wittenbergæ, ad d. xiv. Maji. Anno cIↃ IↃcLIX.

CLII.

Chriſtiano Daumio S.P.

BEnignè, comiterqve facis, *Clariſſime Daumi*, qvi me omiſſi officii arguis ſimul atqve abſolvis, dum culpam omnem in tabellarium derivas. Et verò non compellavit me abiturus;

at meum interim erat, ſciſcitari ex eo, ecqvando reverſurus domum eſſet. Qvod dum oblitum me fateor, ſenile vitium agnoſcis. Qvanqvam Cicero neget, *memoriam minui ſenibus:* nimirùm niſi exerceant, aut ſi naturâ tardiores ſint. Qvod ultimum ſanè diſſimulare non poſſum. Sed mittamus iſta, ſi placet. De Papinianis multùm te amo. De Catone benè ſpem facis, atqve de eo jam monuiſti antè. At qvid de Bernardo nobis promittere licet: Namqve ſi rectè memini, nihil de eo ad me hactenùs, itaqve paulò clarius loqvere. Scripſi jam olim libros duos *de utraqve copia:* qvos cum aliqvot adoleſcentibus, qvi eam operam ſibi cupiebant navari, communicavi deinceps. Eos igitur, cùm vellent nonnulli typis deſcriptos, legi, retractavi per anni ver, auxi in locis plurimis, iisqve titulum feci *de commutata ratione dicendi,* illi jam deſcribuntur: & hinc, ut ſpero, ſubibunt prelum. Orationes (forſan & ſelectiora Poëmata; hos conſeqventur. Terentianum Heavtontimorumenon publicè expoſui hactenus, cui poſt paucos dies imponetur finis. Ac ibi propemodum ſum, ut Commentariolum illum edam, ſi tibi videbitur. Sed heus! excuduntur ne apud vos Reineſianæ epiſtolæ; an jam excuſæ dudum ſunt? Alterutrum ſanè videtur ſvadere Papinianorum involucrum qvoddam, qvod partem epiſtolæ cujusdam exhibebat. Kalendis Majis proximis octavùm creatus Decanus Collegii ſum. Qvod nemini hactenus contigit à condita Academia usqve. Nam cæte-

teris omnibus adhuc ſeptimus Decanatus fatalis fuit, ad eum ſcilicet qvi aſpirarunt. Faxit DEUS, ut felix id mihi & fauſtum ſiet. Qvi & te ſervet, *Clariſſime & Amiciſſime mi Daumi*. Vale. Wittenbergæ, d.XXX. Maji, Anno cIↄ Iↄc LIX.

CLIII.
Abrahamo Schulteto
S. P.

Clariſſime Vir,

QVæ proximè ad me curâſti, ea nunc remitto. In titulo nihil eſt, qvod deſiderem. In altera dedicatione illud: *conſobrino veſtro*, mutandum ducam. Putat qvidem Juſtinianus, ex fratribus etiam natos *ſobrinos* vel *conſobrinos* poſſe dici: videturqve Terentius *conſobrinum* pro cognato alibi dixiſſe: ſed neqve hæc nota omnibus, & ſatius eſt, vocabulis pro familiari conſvetaqve ſignificatione uti. Melius itaqve dixerim, *patruelis* vocabulum ſubſtituere. Præfatione ad Lectorem allegas qvendam è neſcio qva SOCIETATE, neqve enim addidiſti nomen, & reliqviſti vacuum ſpacium ei recipiendi. Si eam Societatem intelligis, qvam illuſtriſſimus Anhaltinorum Princeps LUDOVICUS p.m. inſtituit, in qvam me qvoqve ipſe recepit olim, nôſſe debes, eam FRUCTIFERAM, (die Fruchtbringende Geſellſchafft) appellatam. Pro iſtis: *ille ætatem delectat maturam* &c. malim; ille ætatem ma-

maturam delectat: mihi, tenellæ ut proſim, eſt curæ. Ille Germanicè reddidit textum; ego Grammaticè etiam eundem reſolvo. *Lacto* dubiæ notionis verbum, nec tantum lac præbere ſignificat, ſed & inducere. Ac tùm à *lacio* eſt, unde & *delectare*. Deinde *exuere auctorem Germanicè*, non ſatis benè opinor, pro *Germanicè vertere*, dicitur. Tùm enim Latina, ut ſic dicam, veſtis detrahitur: Germanica verò induitur. Ut circa feſtum Michaëlis expectes confectum opuſculum, non eſt. Neqve initium fieri poterit, ut Mævius typographusqve me monuerunt. Cauſas ex Rabio didiciſſe te puto. De iis enim ipſum docui monuiqve, ut certiorem te faceret. Et præter Mævium etiam qvi ſuis ſumtibus curet imprimi, me inventurum alium, vix pôſſum ſperare. Proximis Kalendis Majis Decanum me creavit Collegium, qvas partes octavùm jam fungor; qvod nemini hactenùs, ex qvo fundata Academia eſt, contigit. Nam cæteris omnibus ſeptimus Decanatus fatalis fuit. Exemplar carminis, qvô non ita pridem ad ambiendam Philoſophicam lauream invitavi eos, qvi ſtudiorum ſuorum fiduciam habeant, mitto. Si qvos nôris in veſtra Luſatia, qvi ſibi emolumentum aliqvod ex collatis honoribus Magiſterii promittere habeant, eos monere poteris, ut nomina ſua profiteantur. Panegyris volente Deo XI. Octobr. præterpropter inſtituetur. Hæc nunc volebam. Vale, *Clariſſime SCHULTETE*, cum tuis feliciter! Raptim Wittebergæ, d. XX. Julii, Anno cIɔIɔCLIX.

CLIV.

Chriſtiano Daumio S. P.

Clariſſime ac πολυφίλτατε Daumi,

NOn deſinis benè mereri de me, ſubinde aliqvid mittens, qvod me delectet aut doceat. Cujusmodi ſunt Barthiana in Starium. Ex qvibus qvotusqvisq; tam literatus ac doctus eſt, qvin aliqvid diſcat? Sed carmen illud Germanicum in obitum Stepneri veſtri ſanè illud egregium ac diſertiſſimum! nec alium ejus qvàm te auctorem mihi perſvadeo eſſe. Carminis mei ad proximum Paſcha nullum ampliùs exemplum ſupereſt. Et eſt omnino facilis ejus jactura. Qvod publicavi proximè, cum pubem noſtram ad Philoſophicam lauream prenſandam incitarem pro more, illud en habe. Si qvi fortaſſe apud vos ſunt, qvi gradum iſtum aſſumere, aut ſibi honori, aut emolumento futurum putaverint, his vellica aurem, ut utantur occaſione præſenti: Faxim ut me faventem benevolumqve, vel tuâ etiam cauſâ, experiantur. Clariſſimus Bœclerus non ita pridem ſpem fecit de carmine ad Barthianos manes; idqve non pro ſe tantùm, ſed Königsmanno etiam ac Praſchio, & aliis ibi eruditis. Qvamprimum accepero, ad te ut perferantur, curabo. Jam nihil reſtat, qvàm te valere, & rebus proſperis perpetuò uti, jubeamqve & precer. Vale iterum, *Eruditiſſime mi Daumi*, & me ama. Wittenbergæ, ad d. XXVII. Julii. Anno cIɔ Iɔc LIX.

CLV:

CLV.

Johanni Davidi ab Oppel

S. P.

PUdet me meæ ſocordiæ & tarditatis, qvi alteras mittis, cùm ad priores tuas (datas qvamdiu?) nondum reſponderim. Sed veniam dabis, ſpero, communi ſenum vitio, qvi obliviosi plerumqve ſunt, & niſi admoneantur & excitentur, vix reminiſci ſatis eorum ſolent, qvæ inſtant agenda. Valere te ſatis, & agere benè, ex Weckio noſtro gratanter accepi. Sed qvæ de tua uxorcula narrabat, næ illa me, prout debebant, mirum in modum confuderunt. Sed magna in juventa ejus ætate, magna in DEI bonitate ſita eſt ſpes. Qvæ tulerit dies, ea & poteſt auferre, aut reſtituere in melius, qvæ ſecus habebant. Qvod ex animo precor ut fiat. Scribebas in prioribus literis, te expectare orationem à me in obitum patriæ Matris defunctæ. Ac ſcripſi eam qvidem, & habui etiam ipſis exeqviarum ſolennibus, ſed nondum deſcriptam typis emiſi in lucem. Qvod iterum enim. *** Nec ſemper eſt, ut conſcientia pietatis efficaciter ſatis nos conſoletur. Scribo hæc Pollensdorffii, in ruſculo meo: qvò ſeceſſi heri, ut me ſubtraherem turbis urbanis, & hic liberius ſpatium habeam meditandi aliqvid pro perqvam illuſtris FRISII manibus. Hoc enim & ejus & filiorum meritis debere me arbitrabar. Kalendis proximis Maji Decanatum octavum auſpicatus

 ſum:

ſum: qvod nemini hactenùs contigit, ex eo usqve tempore, qvo primum fundata Academia eſt. Pro vi illius muneris, Jambis aliqvot invitavi non ita pridem ad prehenſandam Philoſophicam lauream, qvi in honoris iſtius adipiſcendo genere ſe aliqvod operæ pretium facturos putent. Illorum exemplum nunc mitto, ut videas, qvid hæc ſenilis imbellia à virorum robore divertat. Sed ecqvid novi habes? qvid metuendum nobis aut ſperandum in poſterum eſt? Heri afferebatur, pacem inter Svecum & Danum conventam eſſe: nec Brandenburgicum excluſum, ſi conſentiret in leges. De Cæſare nihil. Si eſt, jam bellum novum Germaniæ paratum video; qvod & exaggeret ruinas veteres, & novas inducat. Subit hinc ſuſpicari, vera eſſe; qvæ de excluſis Auſtriacis ab Hiſpano Gallico fœdere hactenùs ad me perſcripta fuerunt. Deum immortalem precor, ut tueatur qvietem noſtram, & tibi ac tuæ proſpera omnia lætiſſimaqve perpetuò largiatur. Vale! In Polsdorfiano ruſculo, d. x. Auguſti, Anno clↃ IↃC LIX.

CLVI.

Reverendo ac Clariſſimo VIRO

DN. JUSTO SIBERO, P. L. Cæſ.

APpetit tempus, atqve d. 1. Octobris, ſi DEUS dederit, veniet dies, qvo Philoſophicæ laureæ ſolenni ceremoniâ diſtribuentur. Ac licèt

licèt jam pridem te certiorem fecerim literis,tamen qvia nihil dum hactenus reſcripſiſti, non præter rem me exiſtimavi facturum, ſi denuo te de illo commonefacerem. Intereſt enim me ſcire, qvid conſtitueris apud te: utrumne aſſumere placeat gradum, an aliud tibi videatur. Qvæſo igitur te, ut tribus verbis, qvod dicitur, docere me velis, qvid ſis facturus. Vale feliciter & plurimum ſalve! Wittenbergæ III. Kalendarum Septembr. Anno clɔ Iɔc LIX.

CLVII.

Chriſtiano Daumio S. P.

Clariſſime & eruditiſſime Daumi,

Multò gratiſſimum mihi fuit tuam manum videre,& illam in literis velut oſculari. Pro Statianis autem meritò ſummas ac ſingulares ago gratias. Boeclerus & cæteri nondum ſteterunt pollicitis. Qvamprimum ad illos ſcripſero,vellicabo aures,ut fidem præſtent. Laureâ Philoſophica ad d. XIII. Octobr. inſignivi XXX. egregios juvenes, in qvibus & Belga unus fuit. Tua deſidero vehementer, atqve ut moram omnem reſcindas, enim atqve etiam peto. Bibliopolæ nimis lucri cupidi ſunt,& eruditorum labores maligne æſtimant: atqve ut ipſi magnum qvæſtum faciant, hoc agunt maxime, ut ſordes atqve inopiam ipſis relinqvant. Prætexunt bella & devaſtatas pro-

vincias: neq; hoc nihil omninò eſt; non tantum tamen, qvod avaritiam eorum & liberalitatem ſatis abſolvat. Archidiaconi veſtri Domini Schmidii τȣ̃ μακαρίτȣ Chronicon Zvviecavienſe nondum vidi. Mitte qvæſo illius exemplar: cum præſentium latore egi, ut a me ſolvat pretium, hic recipiendum, qvàm primum venerit. Neqve enim tantum fore exiſtimo, qvod illa repræſentare non poſſit. Vale, *Amiciſſime & multum chariſſime Vir*, & literarum bono diu ſuperſtita. Iterum vale & ſalve! Raptim, pridie Nonas Novembris. Anno cIↃ IↃcLIX. qvi dies tertius eſt, ex qvo LXIX. annum ingreſſus ſum. Deus in poſterum provideat!

CLVIII.

JUSTO SIBERO S. P.

Perqvam Reverende, Clariſſimeqve Vir, Domine ac amice nunqvam non honorande & æſtimande,

QVæ miſiſti ſpeciminis loco, rectè ad me perlata fuere: qvæ ſimul communicavi cum Collegis, confectam habuiſti rem, nec qvisqvam fuit, qvi te non admittendum cenſeret, qvamvis abſentem. De qvo ſucceſſu tibi æqve ac mihi gratulor: qvippe in qvo exiſtimationi utriusqve conſultum fuit. DEUS tibi fortunet iſtum honorem, & bene feliciterqve Eccleſiæ literisqve cedere jubeat. De loco nihil dum certi

certi ſcribere poſſum. Nam diſtributio eorum ad diem x. Octobr. demum futura erit. Spero tamen primum omnium aſſignatum iri tibi me autore. Vale! Raptiſſime Wittenbergæ, d. III. Octobr. Anno cIↄ Iↄc LIX.

CLIX.

EIDEM S. P.

Perqvam Reverende Clariſſimeqve VIR,

PEracta tandem cum bono DEO Panegyris noſtra Philoſophica eſt, & ego jam provinciâ Decanatus deceſſi. Qvæ qvò plus negotii moleſtiæqve habuit, eò nunc magis gratulor mihi, qvòd odioſis curis liberatus mihimet ipſe vacare poſſum. Uti tibi qvamvis abſenti inter xxx. Epoptas primus locus tribueretur, utut contenderent aliqvi pro uno ex præſentibus (neqve indigno ſanè, ut fatear) obtinui: qvia & tuæ inſigni eruditioni & amicitiæ noſtræ debebatur. Itaqve de eo honore ex animo tibi gratulor, isqve ut felix fauſtusqve Eccleſiæ, literis tibiqve ſit, jubeoqve ac precor. Carmen, qvod volebas, mitto, non ad Catullianum modum aridâ pumice expolitum, ſed rude atqve incultum; & qvale naſci ſolet, qvos & ingenium deſtituit & qvibus otium liberum deeſt. Contentus igitur eris hoc Catone. De Submagiſtro puerorum, qvi committendi fidei tuæ ſunt, nihil meminiſti in proximis tuis. Qvod ita accipio; atqve ſi vobis de eo dudum proſpectum

Com-

Commendatus mihi à Dn. D. Qvenſtedio unus eſt, qvi commigrare in iſtas partes vellet. Qvem cum neqve de facie antea noverim, pronunciare de eo nihil poſſum. Exhibuit tamen poſtulatu meo ſpecimen ſtyli, qvod cujusmodi ſit per te perſpicies, illud enim literis junxi. Vale, *Clariſſime SIBERE*, & me amare perge. Raptim Wittebergæ d. XXII. Octobris, Anno cIↃIↃc LIX.

CLX.

Chriſtiano Daumio S.P.

Clariſſime Daumi,

Qvæ mihi voviſti, ti bi reddo vota, precorqve,
Totus ut hic felix lætus & annus eat.
Sed tibi pro meritis dignam, πολυφίλτατε, ſtrenam
In præſens, DAUMI, reddere non habeo.

HAbe tamen interim has pauculas chartas & æqvi conſule, dum meliora non licet. Schmidii Chronicon non usqveqvaqve ſpei meæ reſpondet. Et vere monuiſti de eo, qvæ monuiſti. Oportet tamen nos iſthoc Catone contentos eſſe. Argentinenſium epicedia fruſtrà hactenus exſpectavi. Miror ipſos promiſſorum fidem nondum præſtare. Itaqve primâ qvaqve occaſione iſtum eorum veternum excitabo. Male verò ſit hypochondriorum morbo, qvi te per frigus iſtud atrocius vexat, & ſibi cogit impendi tempora, qvæ Muſis noſtris debebas. Deus reſpiciat & brevi tibi ſolidam

vale-

valetudinem redonet. Wittenbergæ raptim, d. XVII. Januarii, Anno IϽC IϽC LX.

CLXI.

M. Joh. Sebaſtiano Mitternachtio S. P.

OMnino mihi redditæ ſunt, qvas Nonis Decembribus ad me perſcripſeras. Qvòd non reſpondi hactenus, ſenectutis accidit vitio. Nemo me monuit, & vellicavit aurem. Sed nôſti ſenes obliviofos. Verùm ad rem. Editionem non improbo, qvin probo maximè. Sic verſionem tamen cum textu placeat jungi, ut non immiſceatur, ſed ſeparatim excudatur, & ſic utrumq; peculiare ſuum faciat corpus, & haberi ſeorſim poſſit. Numeros ſive paragraphos addi non diſplicet. De nuncupatione etiam non eſt, qvòd moneam. Benè ſubduxiſti rationes. Et magnam mihi relatam putabo gratiam, ſi aliqvot verſionis Germanicæ tantum exemplaria vel ære meo ad me perveniant. Polemica tua, itemqve notas in Fabricium mirificè cupio videre. Neqve enim te minus, qvam tua amo. Et qvidni? ut erudita & docta. Qvare exple mihi hanc ſitim, & optimè vale. Raptiſſimè, prid. Cal. Martias, Anno CIϽ IϽC LX.

CLXII.

Joachimo Paſtorio, Hiſtoriogr. Reg. S. P.

Diu eſt, qvod ad te ſcripturio, humaniſſima tuâ liberalitate hactenùs provocatus haud ſemel: cunctatione ſenili tamen factum eſt, ut dum in diem de die differo rem, minùs officio ſatisfecerim. Nunc nactus hominem, neqve ignotum tibi, & mihi hactenus domeſticum, properè rumpo ſilentium, affectumqve, qvo te jam olim inter lumina decoraq; ſeculi colui hactenus, & veneratus tacitè ſum, aut apud amicos cùm tui fieret mentio; nunc in ipſius tuũ effundo ſinum: triumphas propemodum, Buchnerum diligi abs te, amicumqve cognoſci illi viro, cui omnes jam olim Muſæ cum univerſo peculio ſuo ſe dediderunt; qvemqve non per Boruſſiam tantum Sarmatiamqve, ſed cæteras etiam nobiliores Europæ partes clarum celeberrimumqve reddiderunt. Qvantum enim hoc ipſum eſt, haberi à talibus aliqvem, & ab illorũ accipere gloriâ aliqvid luminis, ſi luce propriâ langvidius fulgeat? Perge vero, perge PASTORI ampliſſime, habere inter tuos Buchnerum, qvem tibi virtute & eruditione excellentiſſima ad omnem cultum & obſervantiam obligaſti jamdudum. De me id tibi pollicendum habes, daturum me ſedulò ſemper operam, ne in me illud competat: *Amor, qvi deſinere poteſt, verus*

rus non fuit. Vale, *Nobiliſſime Vir*, & Beſelmannum noſtrum, harum latorem, eximium juvenem, cui neqve ingenium, nec optimarum artium ſtudium, neq; modeſtia & pulchri amor, ſed ſola fortuna melior deeſt, tibi qvàm commendatiſſimum, qvæſo, habe. Vale iterum, & age feliciter, ac flore cum tuis! Wittenbergæ, v. Id. Majas cIↄIↄCLX.

CLXIII.

Chriſtiano Daumio S. P.

Clariſſime & amiciſſime Vir,

QVibus, qvæſo, rebus tandem penſabo ſatis liberalitatem tuam, qvâ me ſubindè afficis, neqve hoc tantum, ſed recreas etiam, & ut ingenuè dicam, erudis atqve informas. De Barthianis in Statium nunc nihil dicam: nam qvæ ad palponiſtam notaſti, qvàm multa me docuerunt, qvæ nunqvam ante didiceram? Itaqve magnas & ſingulares tibi ago & habeo gratias, nec qvicqvam optatius mihi accidere poſſet, qvàm ſi ſubinde me talibus donares. Qvis te verſatior temerè eſt in ſeqvioris ævi ſcriptoribus? O qvam ex adverſariis tuis atqve indicibus augeri egregiè & locupletari poſſint Voſſii *de vitiis ſermonis atqve gloſſematibus Latino-Barbaris!* ſuſcipe, ſuſcipe hunc laborem, nec de uno Bernardo aut Walone, ſed omnibus ejusdem Muſæ ac commatis bene aude mereri. Potes, mi Dau-

Daumi, per eam copiam, qvæ eſt ad manum; ut velis atqve efficias, valetudinem proſperam atqve conſtantem voveo tibi ac opto. Si alia merces defuerit: vives unà cum Voſſio poſt funera etiam, & longè venturi poſteri pòſt pro erudito labore non ſine prolixa laude tibi gratias agent. Qvod mittam tibi ἀντιδώρȣ loco, non habeo, præter Paſchales elegos aliqvot, qvos boni conſules, & ariditatem ſenii hujus agnoſces. Vale, *Clariſſime & amantiſſime Daumi*, meqve perge amare. Wittebergæ, raptim, d. XVI. Maji, Anno cIↃ IↃC LX.

CLXIV.

Johanni Davidi ab Oppel S. P.

DE fratrum pari mittendo propediem cum moderatore in Academiam noſtram, mecumqve ut ſint, qvod ſcribis ac petis, vellem ſanè in continenti, ut JCti veſtri loqvuntur, atqve ex aſſe adeò ſatisfacere voluntati tuæ. Sed cur nõ poſſim, audi comiter cauſam. Nam licet in menſa ſatis locorum pro ipſis ſit, in meis ædibus tamen muſeum non vacat, qvô commode maneant. Illud cubiculum, qvod cum collega nunc tuo, Nobiliſſimo Dn. Gersdorffio, olim habebas, Tribuni Rochavii filius cum præfecto conduxit, qvod ut concedat, appellari non poteſt. Idem tamen ſub vernas nundinas Lipſienſes hinc abiturus peregre eſt. Si eò usqve ad-

adventum fratrum licebit differre,rem factam habebitis; Si mora iſta pro votis ſtudiisqve eorum non ſit,non grave videatur tamen habitare interea in proximo,navabo operam, ut de idoneô muſeo ipſis proſpiciam. Sed ut maturè de eo me certiorem facias, peto. Hic modus qvidem ætatis, atqve hic valetudinis meæ ſtatus eſt, qvi longas me inchoare ſpes vetent maximè,hoc perſvadere tamen tibi velim, nihil antiqvius mihi,qvamdiu ſuppetet vita, neqve jucundius fore,qvàm iis officiis fungi, qvæ fratribus, qvæ tibi, qvæ nobiliſſimis parentibus, qvos diutiſſime opto ſoſpites, grata expetitaqve intelligam. Vale,Wittenbergæ,ad d. xv. Novembr. Anno ɔIɔ Iɔc LX.

CLXV.

EIDEM.

CErtò mihi promiſeram, apud Dn. D. Joſephum Adjutum muſeum pro fratribus me repertutum,ſed fefellit hæc ſpes, & habuit fruſtrà. Erat qvidem aliqvod,qvod volebat locare,ſed id anguſtius pro numero habitorum videbatur. In alio qvidem colunt duo Tranſylvani,amplo illo ſatis atqve honeſto, qvi cum ſat commode in breviore illo manere poſſent, viſum fuit,ut compellarentur comiter,ſi effici poſſet,ut ſuô illô cederent,atqve in alterum res ſuas transferrent. Ac primò qvidem allocutus eos eſt hoſpes,fruſtra tamen. Putabam & mihi jaciendam aleam: & feci ſedulo, nullo tamen

T effe-

ſum: qvod nemini hactenùs contigit, ex eo usqve tempore, qvo primùm fundata Academia eſt. Pro vi illius muneris, Jambis aliqvot invitavi non ita pridem ad prehenſandam Philoſophicam lauream, qvi in honoris iſtius adipiſcendo genere ſe aliqvod operæ pretium facturos putent. Illorum exemplum nunc mitto, ut videas, qvid hæc ſenilis imbellia à virorum robore divertat. Sed ecqvid novi habes? qvid metuendum nobis aut ſperandum in poſterum eſt? Heri afferebatur, pacem inter Svecum & Danum conventam eſſe: nec Brandenburgicum excluſum, ſi conſentiret in leges. De Cæſare nihil. Si eſt, jam bellum novum Germaniæ paratum video; qvod & exaggeret ruinas veteres, & novas inducat. Subit hinc ſuſpicari, vera eſſe; qvæ de excluſis Auſtriacis ab Hiſpano Gallico fœdere hactenùs ad me perſcripta fuerunt. Deum immortalem precor, ut tueatur qvietem noſtram, & tibi ac tuæ proſpera omnia lætiſſimaqve perpetuò largiatur. Vale! In Polsdorfiano ruſculo, d. x. Auguſti, Anno clↄ Iↄc LIX.

CLVI.

Reverendo ac Clariſſimo VIRO

DN. JUSTO SIBERO,

P. L. Cæſ.

APpetit tempus, atqve d. 1. Octobris, ſi DEUS dederit, veniet dies, qvo Philoſophicæ laureæ ſolenni ceremoniâ diſtribuentur. Ac

licèt

licèt jam pridem te certiorem fecerim literis, tamen qvia nihil dum hactenus reſcripſiſti, non præter rem me exiſtimavi facturum, ſi denuo te de illo commonefacerem. Intereſt enim me ſcire, qvid conſtitueris apud te: utrumne aſſumere placeat gradum, an aliud tibi videatur. Qvæſo igitur te, ut tribus verbis, qvod dicitur, docere me velis, qvid ſis facturus. Vale feliciter & plurimum ſalve! Wittenbergæ III. Kalendarum Septembr. Anno CIↃ IↃC LIX.

CLVII.

Chriſtiano Daumio S. P.

Clariſſime & eruditiſſime Daumi,

Multò gratiſſimum mihi fuit tuam manum videre, & illam in literis velut oſculari. Pro Statianis autem meritò ſummas ac ſingulares ago gratias. Boeclerus & cæteri nondum ſteterunt pollicitis. Qvamprimum ad illos ſcripſero, vellicabo aures, ut fidem præſtent. Laureâ Philoſophica ad d. XIII. Octobr. inſignivi XXX. egregios juvenes, in qvibus & Belga unus fuit. Tua deſidero vehementer, atqve ut moram omnem reſcindas, enim atqve etiam peto. Bibliopolæ nimis lucri cupidi ſunt, & eruditorum labores maligne æſtimant: atqve ut ipſi magnum qvæſtum faciant, hoc agunt maxime, ut ſordes atqve inopiam ipſis relinqvant. Prætexunt bella & devaſtatas pro-

 vin-

vincias: neq; hoc nihil omninò eſt; non tantùm tamen, qvod avaritiam eorum & liberalitatem ſatis abſolvat. Archidiaconi veſtri Domini Schmidii τȣ̃ μακαϱίτȣ Chronicon Zvvicavienſe nondum vidi. Mitte qvæſo illius exemplar: cum præſentium latore egi, ut a me ſolvat pretium, hic recipiendum, qvàm primum venerit. Neqve enim tantum fore exiſtimo, qvod illa repræſentare non poſſit. Vale, *Amiciſſime & multum chariſſime Vir*, & literarum bono diu ſuperſtita. Iterum vale & ſalve! Raptim, pridie Nonas Novembris. Anno cIↃ IↃcLIX. qvi dies tertius eſt, ex qvo LXIX. annum ingreſſus ſum. Deus in poſterum provideat!

CLVIII.

JUSTO SIBERO S. P.

Perqvam Reverende, Clariſſimeqve Vir, Domine ac amice nunqvam non honorande & æſtimande,

QVæ miſiſti ſpeciminis loco, recte ad me perlata fuere: qvæ ſimul communicavi cum Collegis, confectam habuiſti rem, nec qvisqvam fuit, qvi te non admittendum cenſeret, qvamvis abſentem. De qvo ſucceſſu tibi æqve ac mihi gratulor: qvippe in qvo exiſtimationi utriusqve conſultum fuit. DEUS tibi fortunet iſtum honorem, & bene feliciterqve Eccleſiæ literisqve cedere jubeat. De loco nihil dum

certi

certi ſcribere poſſum. Nam diſtributio eorum ad diem x. Octobr. demum futura erit. Spero tamen primum omnium aſſignatum iri tibi me autore. Vale! Raptiſſime Wittenbergæ, d. III. Octobr. Anno clↃ Ↄc LIX.

CLIX.

EIDEM S. P.

Perqvam Reverende Clariſſimeqve VIR,

PEracta tandem cum bono DEO Panegyris noſtra Philoſophica eſt, & ego jam provinciâ Decanatus deceſſi. Qvæ qvò plus negotii moleſtiæqve habuit, eò nunc magis gratulor mihi, qvòd odioſis curis liberatus mihimet ipſe vacare poſſum. Uti tibi qvamvis abſenti inter xxx. Epoptas primus locus tribueretur, utut contenderent aliqvi pro uno ex præſentibus (neqve indigno ſanè, ut fatear) obtinui: qvia & tuæ inſigni eruditioni & amicitiæ noſtræ debebatur. Itaqve de eo honore ex animo tibi gratulor, isqve ut felix fauſtusqve Eccleſiæ, literis tibiqve ſit, jubeoqve ac precor. Carmen, qvod volebas, mitto, non ad Catullianum modum aridâ pumice expolitum, ſed rude atqve incultum; & qvale naſci ſolet, qvos & ingenium deſtituit & qvibus otium liberum deeſt. Contentus igitur eris hoc Catone. De Submagiſtro puerorum, qvi committendi fidei tuæ ſunt, nihil meminiſti in proximis tuis. Qvod ita accipio, atqve ſi vobis de eo dudum proſpectum

Com-

Commendatus mihi à Dn. D. Qvenſtedio unus eſt, qvi commigrare in iſtas partes vellet. Qvem cum neqve de facie antea noverim, pronunciare de eo nihil poſſum. Exhibuit tamen poſtulatu meo ſpecimen ſtyli, qvod cujusmodi ſit per te perſpicies, illud enim literis junxi. Vale, *Clariſſime SIBERE*, & me amare perge. Raptim Wittebergæ d. XXII. Octobris, Anno cIɔIɔc LIX.

CLX.

Chriſtiano Daumio S.P.

Clariſſime Daumi,

Qvæ mihi voviſti, tibi reddo vota, precorqve,
Totus ut hic felix lætus & annus eat.
Sed tibi pro meritis dignam, πολυφίλτατε, ſtrenam
In præſens, DAUMI, reddere non habeo.

HAbe tamen interim has pauculas chartas & æqvi conſule, dum meliora non licet. Schmidii Chronicon non usqveqvaqve ſpei meæ reſpondet. Et vere monuiſti de eo, qvæ monuiſti. Oportet tamen nos iſthoc Catone contentos eſſe. Argentinenſium epicedia fruſtrà hactenus exſpectavi. Miror ipſos promiſſorum fidem nondum præſtare. Itaqve primâ qvaqve occaſione iſtum eorum veternum excitabo. Male verò ſit hypochondriorum morbo, qvi te per frigus iſtud atrocius vexat, & ſibi cogit impendi tempora, qvæ Muſis noſtris debebas. Deus reſpiciat & brevi tibi ſolidam valetudinem

valetudinem redonet. Wittenbergæ raptim, d. XVII. Januarii, Anno Iↄc Iↄc LX.

CLXI.

M. Joh. Sebaſtiano Mitternachtio S. P.

OMnino mihi redditæ ſunt, qvas Nonis Decembribus ad me perſcripſeras. Qvòd non reſpondi hactenus, ſenectutis accidit vitio. Nemo me monuit, & vellicavit aurem. Sed nôſti ſenes obliviosos. Verùm ad rem. Editionem non improbo, qvin probo maximè. Sic verſionem tamen cum textu placeat jungi, ut non immiſceatur, ſed ſeparatim excudatur, & ſic utrumq; peculiare ſuum faciat corpus, & haberi ſeorſim poſſit. Numeros ſive paragraphos addi non diſplicet. De nuncupatione etiam non eſt, qvòd moneam. Benè ſubduxiſti rationes. Et magnam mihi relatam putabo gratiam, ſi aliqvot verſionis Germanicæ tantum exemplaria vel ære meo ad me perveniant. Polèmica tua, itemqve notas in Fabricium mirificè cupio videre. Neqve enim te minus, qvam tua amo. Et qvidni? ut erudita & docta. Qvare exple mihi hanc ſitim, & optimè vale. Raptiſſimè, prid. Cal. Martias,
Anno cIↄ Iↄc LX.

CLXII.

CLXII.

Joachimo Paſtorio, Hiſtoriogr. Reg. S. P.

Diu eſt, qvod ad te ſcripturio, humaniſſima tuâ liberalitate hactenùs provocatus haud ſemel: cunctatione ſenili tamen factum eſt, ut dum in diem de die differo rem, minùs officio ſatisfecerim. Nunc nactus hominem, neqve ignotum tibi, & mihi hactenus domeſticum, properè rumpo ſilentium, affectumqve, qvo te jam olim inter lumina decoraq; ſeculi colui hactenus, & veneratus tacitè ſum, aut apud amicos cùm tui fieret mentio; nunc in ipſius tuũ effundo ſinum: triumphas propemodum, Buchnerum diligi abs te, amicumqve cognoſci illi viro, cui omnes jam olim Muſæ cum univerſo peculio ſuo ſe dediderunt; qvemqve non per Boruſſiam tantum Sarmatiamqve, ſed cæteras etiam nobiliores Europæ partes clarum celeberrimumqve reddiderunt. Qvantum enim hoc ipſum eſt, haberi à talibus aliqvem, & ab illorũ accipere gloriâ aliqvid luminis, ſi luce propriâ langvidius fulgeat? Perge vero, perge PASTORI ampliſſime, habere inter tuos Buchnerum, qvem tibi virtute & eruditione excellentiſſima ad omnem cultum & obſervantiam obligaſti jamdudum. De me id tibi pollicendum habes, daturum me ſedulò ſemper operam, ne in me illud competat: *Amor, qvi deſinere poteſt, verus*

rus non fuit. Vale, *Nobiliſſime Vir*, & Beſelmannum noſtrum, harum latorem, eximium juvenem, cui neqve ingenium, nec optimarum artium ſtudium, neq; modeſtia & pulchri amor, ſed ſola fortuna melior deeſt, tibi qvàm commendatiſſimum, qvæſo, habe. Vale iterum, & age feliciter, ac flore cum tuis! Wittenbergæ, v. Id. Majas cIↄIↄCLX.

CLXIII.
Chriſtiano Daumio S. P.

Clariſſime & amiciſſime Vir,

QVibus, qvæſo, rebus tandem penſabo ſatis liberalitatem tuam, qvâ me ſubindè afficis, neqve hoc tantum, ſed recreas etiam, & ut ingenuè dicam, erudis atqve informas. De Barthianis in Statium nunc nihil dicam: nam qvæ ad palponiſtam notaſti, qvàm multa me docuerunt, qvæ nunqvam ante didiceram? Itaqve magnas & ſingulares tibi ago & habeo gratias, nec qvicqvam optatius mihi accidere poſſet, qvàm ſi ſubinde me talibus donares. Qvis te verſatior temerè eſt in ſeqvioris ævi ſcriptoribus? O qvam ex adverſariis tuis atqve indicibus augeri egregiè & locupletari poſſint Voſſii *de vitiis ſermonis atqve gloſſematibus Latino-Barbaris!* ſuſcipe, ſuſcipe hunc laborem, nec de uno Bernardo aut Walone, ſed omnibus ejusdem Muſæ ac commatis bene audemereri. Potes, mi Dau-

adventum fratrum licebit differre, rem factam habebitis; Si mora iſta pro votis ſtudiisqve eorum non ſit, non grave videatur tamen habitare interea in proximo, navabo operam, ut de idoneô muſeo ipſis proſpiciam. Sed ut maturè de eo me certiorem facias, peto. Hic modus qvidem ætatis, atqve hic valetudinis meæ ſtatus eſt, qvi longas me inchoare ſpes vetent maximè, hoc perſvadere tamen tibi velim, nihil antiqvius mihi, qvamdiu ſuppetet vita, neqve jucundius fore, qvàm iis officiis fungi, qvæ fratribus, qvæ tibi, qvæ nobiliſſimis parentibus, qvos diutiſſime opto ſoſpites, grata expetitaqve intelligam. Vale, Wittenbergæ, ad d. XV. Novembr. Anno cIↃ IↃC LX.

CLXV.

EIDEM.

CErtò mihi promiſeram, apud Dn. D. Joſephum Adjutum muſeum pro fratribus me repertuɾum, ſed fefellit hæc ſpes, & habuit fruſtrà. Erat qvidem aliqvod, qvod volebat locare, ſed id anguſtius pro numero habitorum videbatur. In alio qvidem colunt duo Tranſylvani, amplo illo ſatis atqve honeſto, qvi cum ſat commode in breviore illo manere poſſent, viſum fuit, ut compellarentur comiter, ſi effici poſſet, ut ſuô illô cederent, atqve in alterum res ſuas transferrent. Ac primò qvidem allocutus eos eſt hoſpes, fruſtra tamen. Putabam & mihi jaciendam aleam: & feci ſedulo, nullo tamen

effectu. Qvid putas? Nimirum exiſtimarunt illi tuendam ſibi cœli ſui aſperitatem, ne in peregrinos & manſvetiores mores tranſiiſſe viderentur. Apud Prætorem & Archigrammat. Urbis Dn. Dalichovium, qvi mihi propinqvior colit, vacat manſio, non qvidem ſpatioſa adeò, ſed qvæ levandæ neceſſitati ſufficere videretur nonnihil. Vacat & apud me muſeum illud, qvod juxta tuum olim à ſiniſtra eſt, ſed multô anguſtius, qvod noſti; qva de cauſa nec proxime ejus movere mentionem volui. Cum venerint, ſi adhuc ſedet, ipſi inſpicere poterunt, atqve eligere magis idoneum interim, donec Rochavius diſcedat. Rhedarius, qvi iſtas exhibet, commode eos huc deportabit: atqve ut cedat ipſi provincia iſthæc rogo. Deſcenſum ex curru ad meas ædes facient, ubi accepti deliberare mecum poterunt. Vale! Raptiſſime, d. XXIV. Novembr. Anno cIↄ Iↄc LX.

CLXVI.

Chriſtiano Daumio S. P.

Clariſſime Vir,

Amice πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων,

HÆrere Barthiana in Statium, non libentiſſime accepi. Sed morbus hic epidemicus eſt, qvô ab ære laboratur: cui nec carmine, nec herbâ Æſculapius ullus mederi, ſed Pluto ſolus

ſolus efficaciſſime poteſt, qvem ſibi ante omnia conciliare typographum oportet. Idem mali genus & bibliopolas noſtras vexat: qvò fit, ut pleraqve prela admodum frigeant. Nam præter Diſputationes qvid eſt, qvo exerceri magnopere poſſint? Qvanqvam neqve earum qvoqve tanta eſt ſeges, qvanta olim ſolebat ſuc-creſcere. An ab eadem inopia? an qvia dulcius propinando pecunia, qvàm diſputando inſumitur? Qvæ *magiſtralis*, ut vocant, ni fallor, *qvæſtio eſt*. De nobiliſſimo Barthio itemqve de Ilenburgio nondum tibi ſatisfacere licet. Namqve per pluvium iſtud ac nebuloſum cœlum tempeſtatesqve admodum ſpurcas egredi domum, & indices ſcriptorum excutere non licuit. Poſt ferias cum Deo in eam curam incumbam. Qvicqvid reperero, primâ qvaqve occaſione ad te perſcribam. Interim habe tibi faſciculum iſtum, & optimè vale, *mi optime Daumi*. Wittenbergæ, ad d. XXI. *D*ecembr. Anno cIↃ IↃC LXI.

CLXVII.

Johanni Davidi ab Oppel S. P.

DEbitor qvidem meus faceſſit mihi negotium, homo, ut Lucilius ait, *tricoſũ bovinatorqve, ore improbũ duro*; hinc accidit, ut in præſenti tibi negotium cogar faceſſere. Multa ille benigne promiſit hactenus, ſed nihil præſtitit.

Qvem ludum ne poſtea qvoqve peræqvè ludat malo meo, appellandus mihi Elector Sereniſſimus fuit, ut per conſtitutos arbitros, qvos Commiſſarios nunc appellamus, litem compendio finiam, & meum impetrem. Ordinariam enim judiciorum viam ingredi nimis lentum ſpiſſumqve foret.

---longa eſt injuria, longæ
Ambages.

Rem univerſam ex deſiderii mei libello cognoſces plenius, qvem ad te mittere ſuſtinui, ut illum per Dn. Weckium noſtrum (ad eum enim, ni fallor, hæ partes pertinent) offerendum conſilio veſtro, ſi absqve incommodo tuo poterit fieri, cures: ipſemet verò ut commendes negotium, qvo conficiatur maturius. Arbitros ex Senatus parte nullos nominavi; à vobis ſi Dn. D. Ledererus Conſul, & Dn. Breslerus Syndicus deſignarentur, id mihi ſane pergratum foret. Ægrè eſt, tibi creari à me moleſtiæ tantum: ſed ſpero ignoſces amico veteri, dabisqve hanc veniam homini viciſſim tibi ad omne officii ac ſtudii genus ſemper parato. Generoſum Dn. à Gersdorff, Collegam tuum, ut meô nomine officioſiſſimè ſalutes, etiam atqve etiam peto. Vale, *Nobiliſſime Domine*, qvi ineuntem hunc annum, ac inſeqventes plurimos ut cum dulciſſima conjuge ſoſpes ac hilaris, & ex ſententia animi exigas, oro precorqve. Vale

le iterum & ſalve! Wittenbergæ, pridie Kalendar. Januarii, Anno cIɔ Iɔc LX:

P. S.

Qvid Generoſus Dn. Parens? An ſatis ſalvè, & valet? Opto id qvidem, & ſerio voveo, & precor à DEO immortali omnibus modis.

Seqvuntur qvædam, de qvibus, *qvo die aut anno ſcripta ſint, non conſtat, ob id tamen non omittendas putavimus. Apponere autem placuit, prout in manus venere.*

CLXVIII.

Literæ

AD REGEM ANGLIÆ,

nomine

SERENISSIMÆ PRINCIPIS

H E D W I G I S,

perſcriptæ.

HOc votum noſtrum aſſiduum eſt: hoc nunqvam non immortalem Deum precamur, ne qvid hujusmodi in REGIAM TUAM SERENITATEM expetat, qvod aut ipſi-

us valetudinem debilitet, aut ſtatum atqve fortunam laceſſat. Qvæ deſiderii noſtri pietas, ut habeat, cur dubitet minus inpoſterum, anxiaqve ſit, lætetur qve majore fiducia, epiſtolam hanc ad REGIAM TUAM SERENITATEM exploratoris inſtar dirigere viſum fuit. Neq; enim ſilendum nobis diutius erat, tota Regiâ ſic aula conſtrepente feſtis, & benè ominatis vocibus, ex qvo compoſitis turbis & tumultibus pernicioſiſſimis is toti Britanniæ, virtute ac bonitate tua, REX, impoſitus ſtatus eſt, qvem noſtra Germania exercita miſerè tot annos, neqvicqvam expetit hactenus, & ſolis beatis habere licet. Qvam ſingularem felicitatem ut tibi, REX SERENISSIME, & Domui tuæ ac Regno merito gratulor, cognata tuo culmini Princeps: Ita eandem, propriam atqve perpetuam tàm opto & voveo, qvam his provinciis poſt tot duriſſimas & contumaciſſimas tempeſtates armorum tranqvillitatem ſimilem evenire brevi, ſerio omnes deſideramus. Nam qvamvis animum ſic comparaverim divina ope, ut, qvod conſilio ac arte mutari neqvit, id generoſâ conſtantia ferendum putet: dolet tamen ac macerat, has ditiones Saxonicas reſpirare à bellis minime poſſe, nec inveniri remedia, præſenteſqve opes, qvibus ſiſti labes, tantaqve invecta calamitas averti qveat. Non deſperandum tamen penitus eſt; pro ſolatio interim fuerit nec ſolidum nobis robur animi, nec commodam corporis valetudinem deeſſe. Cæterum de afflictiſſimo harum pro-

provinciarum ſtatu hoc parcius exponendum in præſenti eſt, ne commemoratione triſtium felicitatis veſtræ læta ac proſpera corrumpere ac temerare videamur. Qvæ ut irrupta perpetuaq; ſerie tuis feliciſſimis Regnis decurrant, Tuqve REX SERENISSIME, & DILECTISSIME COGNATE, æterna laude florentem virtutis gloriam incolumis, invictusqve aliis ſuper alia operibus augeas, conjugemqve chariſſimam, ac ſobolem vigentem ſemper valentemqve videas, cœleſte & omnia moderans Numen religioſe veneror atqve adoro. Lichtenburgi in Electorali noſtra aula.

CLXIX.
AD CHRISTINAM
SVECIÆ REGINAM,

nomine Univerſitatis Wittenb.

SERENISSIMA ac POTENTISSIMA REGINA.

DEmere ſibi in bello vires,& robur ac fortitudinem armorum clementiæ laudibus temperare, tanto majus ac excellentius eſt; qvanto divinius nocere nolle, cum poſſis,& ad ſupremi Numinis rationem propius accedit, qvod nulla alia magis re ad cultum & reverentiam Majeſtatis ſuæ obſtringit orbem, qvam ſi ipſum, qvod optimum ac indulgentiſſimum eſt, non omnia pro magnitudine atqve potentia ſua agit. Fulgebit hic titulus igitur vel inter

ipſos gloriæ tuæ apices, REGINA SERENISSIMA, tibiqve non tralatitiam laudem totóChriſtianô orbe contrahet, qvod SERENISSIMI ac POTENTISSIMI DANIARUM ac NORWEGIARUM REGIS interceſſione auguſtâ, tùm tuâ ipſius pietate adduci paſſa es, ut orthodoxæ religionis & optimarum artium parenti communi, Academiæ noſtræ, inter media bella, pacem qvandam, inter tumultus armorum, & undiqve circumfrementes clades, qvietem ac ſecuritatem, qvàm clementiſſimè indulgeres. Eſt hoc magnanimæ illius, mitiſſimæqve (qvæ in hoc ſexu ſumma laus eſt) naturæ tuæ documentum & pignus certiſſimum, qvodqve clariſſimè evincat, qvàm ſis legitima germanaqve & felix hæres latiſſimorum regnorum haud tantum, qvæ Auguſtiſſimus tibi reliqvit Parens; ſed & pietatis virtutisqve divinæ, qvibus ad omnem memoriam ac perpetuitatem temporum ſe clarum & venerabilem præſtitit maximus ille ſeculô noſtrô & incomparabilis penitus Princeps. Qvi ut hanc cathedram, hanc palæſtram LUTHERI veriſſimam & antiqviſſimam religioſè & ſanctè amavit ſemper, eamqve omnibus modis contra veritatis æternæ hoſtes aſſerere ſtuduit: ita qvoqve, AUGUSTISSIMA PRINCIPUM, fovebis eandem impoſterum qvoqve ac complecteris conſtanter, nec unqvam permittes, ut qvæ invicta Paternorum armorum virtute beneficia nobis parta conſtant, bellis tuis in caſum atqve periculum aliqvod conjiciantur.

Nunc,

Nunc, qvod unicè poſſumus, MAJESTATI TUÆ AUGUSTÆ qvàm demiſſiſſimè agimus gratias, agemusqve ſemper, daturi pariter operam, ut pietatis iſtius ac incredibilis benignitatis tuæ apud nos memoria ac laus perpetua & immortalis exiſtat.

SERENISSIMA PRINCIPUM,
PIISSIMA PRINCIPUM,
REGINA MAXIMA.

Vovemus omnes, vovemus ſinguli: Deus te ſervet! Tu diutiſſime imperes, tu feliciſſimè imperes, hoc PATRE MAXIMO futura major; ſi qvos victoriis maximis ille in meliorem aſſeruit ſpem, tu reddita pace ac ſtabilita, ſecuritati ac felicitati ſuæ reddas; non tam armorum fulmine timenda Zenobia, qvam oleâ pacis venerabilis CHRISTINA ſive CHRISTIANA; jamqve ſacratiſſimô iſto ac auguſtiſſimo nomine perpetuo audias ac celebreris DELICIUM AC AMOR CHRISTIANI ORBIS. Wittenbergæ.

CLXX.

Friderico à Metſch S. P.

EGo verò neſcio, *Præſes Ampliſſime*, qvibus tandè verbis deprædicare poſſim curam ac ſolicitudinem tuam ſuper conſtituendo Rectore novo Muſis Afranis. Nam licet minime ignorem

& qvid tuarum partium ſit, & qvanta illis fide ſolertiaqve præeſſe ſoleas; tamen præter hoc qvoqve tuum inde illum perqvam amantem patriæ & ſtudiorum animum facile agnoſco, Enimvero ut à cultura agri & conſitione proventus annui cummaxime pendent: Ita felicitas Reipublicæ ab educatione juventutis & inſtitutione præcipuè exſpectanda eſt, qvam nemo ſibi curæ habet, niſi qvi publicis commodis maximoperè ſtudet. Utinam verò ad iſtam rem ejusmodi aliqvid conferre valeam, qvod & voluntati tuæ faciat ſatis, & ludo illuſtri plurimum commodet! Utinam Academia noſtra eâ abundet ingeniorum copiâ, ut non tam qværere, qvàm ſumere, atqve ex multis optimum qvemqve, & huic muneri idoneum maxime legere liceat: Nam cum id multo aliter habeat, ferre qvidem præſentem fortunam, ſed in futurum conſulere oportet, ne plane oppreſſis literis, Reſpubl. aliqvid detrimenti capiat. Minime omnium latere tamen poteſt, qvantum calamitatis & cladis invectum ſit Academiis iſtâ, ut ita dicam, contumaciâ bellorum, qvâ miſere hactenus exerciti ſumus. Accedit divitiarum cupiditas, qvæ inſtar epidemici morbi graſſatur hodiè, & neſcio qvæ animorum mollities; qvum maximam partem lucrum ſectari & otium videas, pulveres atqve labores deprecari. Qvi cum in ſcholis perpetui ac moleſtiſſimi ſint, pleriqve ad ſacerdotia & ejusmodi provincias alias properant, ubi & plus emolumenti ſperandum ſit, & minus moleſtiæ

ſuf-

ſufferendum. Qvô fit, ut pauciſſimos reperire liceat, qvi cum ſingulari aliqvo fructu ſcholis & puerorum inſtitutioni præfici qveant. Qvotus enim qvisqve eſt, qvi Græcis Latinisqve literis paulò copioſiùs & ad elegantiam aliqvam inſtructus ſit? Sine qvibus qvàm rectè ſuſtineri hæ partes qveant, ipſe cumprimis vides. Nihil profectò perfidiæ contra veritatem magnopere licuit, cum eruditiſſimæ illæ atqve innocentiſſimæ animæ Auguſtini, Hieronymi, Ambroſii aliiqve complures præſederunt Eccleſiæ: Simul ut ad indoctos eosdemqve avaros homines res rediit, illicò obfuſcari cœpit veritatis lux, & introductum ubiqve iniqvitatem myſterium fuit. Qvod ipſum revelari non potuit, qvàm ubi renaſci meliores literæ & illuſtrare hominum animos cœperunt. Hæ tenebræ igitur ne iterùm ingruant, ne Chriſtianum affligant orbem, cavendum, qvantum poteſt, ſedulò eſt, dandaqve opera, ut literæ lingvarumqve ſtudia revocentur denuò; & qvô obducta jacent, a contemtu & ſqvalore vindicentur. Qvod ſic futurum vix eſt, niſi Princeps, aut qvi aſſiſtunt ei, in iſtam curam diligenter incumbant atqve in medium conſulant. Qvod ut tu ſtrenuè feciſti hactenùs, ita in poſterum qvoqve pro incredibili in patriam Rempublicamq; literariam animo facere non deſines. Mihi verò ita videbatur, non defuturos facile viros eruditos atqve doctos, qvi ad gubernandas ſcholas erudiendamq; juventutem idonei cumprimis, ſi in ſingulis Academiis adoleſcentibus ali-

aliqvot conſtituantur beneficia aut ſtipendia, ut iſti ſtudiorum generi, qvod humanitatis nomine cenſetur, ſe totos dedant, & cum Latinis, Græcis, Hebraicis literis dicendi artes paulò accuratiùs, qvàm ſolet fieri, addiſcant. Atqve in iis ſtudiis adjuti liberalitate Principis tamdiu vivant, donec publicis admoveri muneribus poſſint. Itaq; hoc ſeminarium qvaſi fuerit, undeRectores, & Præceptores Scholarm non modo, ſed & Profeſſores, qvi lingvas & humanitatem in Academiis doceant, legi atqve conſtitui poſſent. Sed qvia adoleſcens ætas judicio deſtituitur, & optimum qvid ſit, per ſe vix videt; Idcirco cum vivunt in Academiis, à perito harum rerum regendi ac gubernandi ſunt. Et qvaſi conſtituenda lex qvædam, ut non qvosvis, ſed aptos maximè ac neceſſarios auctores, atqve hoc recte & ordine exſolvant, & qvæ deinde obſervaverint exceperintqve, communicent invicem, & omnium fiant, qvas ſua qvisqve induſtria opes divitiasqve ſibi peperiſſet. Qvæ res, qvantum emolumenti ac fructus allatura ſit, breviter explicari non poteſt. Sicut & multa adhuc reſtant, qvæ ad rationem totius negotii explicandam dicenda erant. Neqve enim hujus loci ſunt, & in epiſtolam non cadunt. Et jamdiu nobis oranda abs te venia, qvod plus ſatis garrulitate noſtra te in arduis negotiis interſtrepere non veriti ſumus. Nam poterat iis ſuperſederi facile: & tu met ipſe procul dubio jam olim iſta vidiſti, imo & meliora forte, Si qvid tamen peccatum eſt à me, id perusi-

uſitata humanitate tua & benevolentia ſingulari erga me, amori noſtro & ſtudio in bonas literas & inſtaurandam ſcholaſticam rem liberaliter, ſpero, condonabis. Nunc poſt tantum receſſum ad ipſam rem veniendum eſt. Primo autem de S. nihil mihi hactenus conſtitit; & ſi absqve illis carminibus eſſet, qvæ transmiſſa ſunt ad me per N. procul dubio & adhuc ignorarem. Ex illis autem ita conjicio, non illiteratum virum eſſe, & legiſſe eû qvidem bonos auctores, ſed perverſa ac prava ratione, qvæ hodieqve nimis obtinuit apud multos. Nam qvicqvid rarum & inſolens, & à communi ratione dicendi remotum paulo, ſibi notant, id optimû, & præſtantiſſimum, & maxime dignum obſervatione arbitrantur. Cætera omnia & ipſam qvoqve ſcriptoris virtutem prætereunt, ac relinqvunt ſecure & temere, qvæ vulgaria ac communia videantur, cum in iis ipſa vis orationis & lingvæ indoles, ſcriptorisqve virtus maxime pateat. Nunc cum judicio non ſatis polleant, qvosvis auctores ſine delectu ad partes vocant. Poſthac recte dicendi præcepta, ad qvæ exigenda ea ſunt, qvæ legimus, qvum non teneant, neceſſe eſt fieri, ut in iſtos errores ſeſe induant, & non niſi prava atqve perverſa imitentur. Nam, ut in omnibus, facilius eſt alterius vitia, qvam virtutes exprimere. Non ego volo qvicqvam detractum homini, ſed ſi honeſte & candide peragenda cenſura, idqve qvod verum eſt, dicendum maxime, univerſa dictio ejus, etiam qva in proſa uſus eſt, dura, frigida, & inflata: tota-

κα-

κακόζηλ⊚, affectataqve & ad ineptam putidamqve eruditionis oſtentationem compoſita. Nam & in ſcriptione non vulgari ratione contentus eſt, ut plus ſcire, qvàm alii, videatur, ad originem magis, qvam ad verum & obſervantiam ubiqve ſpectat: immemor Tulliani illius, qvô monuit, *ſentiendum cum eruditis, loqvendum, ſcribendumqve cum vulgo eſſe*. Hinc in chartis ejus legas: *immotum adgnatu &c.* qvæ ſcriptio licet vera & certa ſit, ſi conſideremus vocum originem & compoſitiones, tamen longe aliter uſus, à qvo non temerè abeundem, tenet. Ac licet non ignorem, antiqviſſimis ſeculis hanc rationem uſitatam fuiſſe, tamen & hoc novi, id immutatum planè poſteà, qvum omnia poliri elegantius, & per judicium aurium, qvod noviſſimum eſt, accuratiſſimè examinari cœperunt. Sanè ſi illa pronunciemus, uti ſcripta ſunt, & ipſa pronunciatio erit difficilis, & aures neſcio qvô horridô ſonô ferientur. Hoc itaqve ut vitaretur, rectè mutata ſcribendi ratio, atqve ſic inſtituta qvàm olim eſt, ut concinna ac facilis redderetur pronunciatio, & omnia jucundè ac molliter ad aures allaberentur. Jam, qvæ ratio eſt, qvod obſoletis potiùs rancidiſqve vocabulis uti maluit, qvàm uſitatis & nitidis, & qvibus elegantior qvisqve delectatur? ut ſunt *opitulus &c.* Qvò accedunt illa Plautina, qvæ feſtiviſſimus homo primus finxit: non ut alii arriperent, ſed ut ridendi materiam ſpectatoribus ipſe præberet. Itaqve extra theatrum ac ſcenam locum non habent, qvò profectò iſta non pertinent,

qvæ

qvæ hic dedit S. Nusqvam autem minùs par erat ludere eum, atqve nugari talibus, qvàm in carmine eo, qvo illuſtri Domino ſuo de nato filio gratulatus eſt. Id enim grave ac ſerium eſſe cumprimis decebat. Etenim ibi qvoqve deprehendenda iſta ſcabies eſt, ubi de invictiſſimo Rege Sveciæ & Electore Sereniſſimo ait:

Qvos reddat herbarum gerentes,
Urbicaposqve, Adonanus Hector.

Ac illud herbarum gerentes tranſeo, qvod obſcuritatem habet, & à ratione noſtrorum temporum plane remotum eſt. Sed qvi *Urbicapos* appellavit, in eo parum conſuluit maximorum Principum dignitati. Nam illud vocabuli à Græcis tranſtulit *Comicus*, qvæ natio in componendis vocibus ſemper audacior licentiorqve Romanis fuit, feſtivitatis cauſa, ut militarium hominum faſtui & gloriationibus lepide illuderet. Sic enim *Milphidippa ancilla Pyrgopolinicen* alloqvitur (*Mil. Glor. Act. 4. ſc. 2. v. 63.*)

Age, mi Achilles, fiatqve qvod te oro, ſerva illam pulcram pulcre:
Exprome benignum ex Te te ingenium, urbicape, occiſor regum &c.

Nempe de qvibus rebus jactare ſe miles fuerat ſolitus, & ſe efferre qvam maxime velit, ubiqve laudat eum, aſtute ſimul, ut palparet hominem ventoſum ſimul & irrideret. Nam qvid eſt hic

præcipuè laborandum in iſto genere eſt, ad aliqvam elegantem, atqve perſpicuè ſcribendi legendiqve facultatem pervenire qveant. Sed de hac ratione, & qvomodo ea inſtituenda videatur, dicere, nec hujus loci eſt, & breviter id fieri non poteſt. Nunc verò petenda venia eſt, qvod nullo alio fine hoc, qvicqvid eſt, illevimus chartis, qvam ut noſtrum pro virili de re literaria ſtudium tibi, cui ea maximè curæ eſt, declararemus. De Rectore autem Miſenenſis ludi, huc enim tandem veniendum eſt, conſtituendo ex ſtipendiariis qvidem, qvos vocant, Electoralibus, præter unum Oſtermannum nemo eſt, cui hæ partes rectius committi poſſent. Nam qvum ad iſtam provinciam cumprimis opus ſit, non modo benè literato ac docto viro, ſed & prudenti ac gravi, qvi poſt diſcipulos Præceptores ipſos qvoqve gubernare dextre atqve ſuopte exemplo invitare ad officium poſſet: eqvidem hæc omnia in noſtro ita inſunt, ut vix in alio æqve eſſe qveant. Sed metuo valdè, ne brevi is in Academiam noſtram vocandus ſit. Sumus enim in univerſum qvidem homines obnoxii ſemper morti, ſed ſenes ab ea nunqvam longè abeſſe poſſunt. Cæterum literaturam Græcam, qvi poſt Schmidium noſtrum, ſi qvid i humanitus accidat, qvem Deus ſervet, cum laude ac dignitate profiteri præter Oſtermanum poſſit, ego qvidem audacter dicam, video neminem. Ita relinqvendus potius, qvàm mittendus in ſcholam eſt, ut inde paulò pòſt in Academiam remittatur. Iſtæ vices ſi crebrio-

res fuerint, qvantum damni & petrimenti afferre ſoleant ſcholis, dici non poteſt. Et ego ſemper æſtimavi tales præficiendos ludis, qvi eas partes aut nunqvam prorſus, aut non niſi qvum feſſi animis, & defecti ſunt, deponere velint. Nulla enim res majorem peritiam deſiderat, qvàm juventutis informatio. Recte enim Poëta dixit: *ſatis vixit, neqve ab annis, & vix præclari qvid aliqvis præſtare poteſt, niſi qvod diu didicit.* Sed qvemnam alium in hanc provinciam mittendum cenſeam? Neminem profectò præter unum Nic. Pompejum, qvi ſi non perfectiſſimus & abſolutus, certè præcipuos boni Magiſtri numeros mihi videtur abſolviſſe. Latinas certe literas cum longè pauciſſimis eruditus eſt; ut diſerte atqve ornate non modo ſcribere, ſed loqvi eô ſermone etiam poſſit. Græcas hauſit, qvantum ſatis eſt, & Ebræas. Verſatus eſt multô tempore in Academia. Ita qvidem, ut omnia ſua non tantum, ſed gravitate morum & civilitate cuivis bonorum facile ſe probaret. Accedit ætas infra annos XL. provecta, & jam aliena ab illis motibus cupiditatibusq;, qvæ juventuti hærere plerumqve ſolent. Accedit corporis habitus dignitasqve, qvæ poſt annorum auctoritatem non certe parũ auctoritatis conferre poteſt. Et is profecto non pueris tantùm, ſed viris, & qvi admoti ad ſenium ſunt, præeſſe debet. Notus eſt mihi à multis annis, & inter eas dotes, qvas dixi, modeſtiâ qvoqve clarus. Qvæ qvò rarior hodie eſt, eò eam plerumqve teneriùs amare ſoleo, ut certiſſimum veræ virtu-

tis

tis indicium & teſtem. Habes qvid de homine ſentiam: tuum eſt videre cumprimis, qvid facto opus ſit, qvi tota hac de re & judicare certius, & verius qvoqve pronunciare potes. Nec hæc mandavi literis, qvaſi dare vellem conſilium, qvod temerarium eſſet; ſed ut parerem auctoritati tuæ, cui obſervandum ſemper eſt. Si qvid Buchnerum tamen audis, oro abs te reverenter, ut Pompejum, vel neſcientem ſane, ita me Deus amet, de iſto inſtituto noſtro commendatum tibi habeas. Vale!

CLXXI.

Carolo à Frieſen S. P.

PEtis denuò à me, *Nobiliſſime CAROLE*, qvò deinceps ordine proſeqvi ſtudia tua debeas, exponam. Nec nunc neceſſe eſt dicere, nihil magis & volo, & cupio, qvam ut tu, qvantum fieri expeditiſſime poteſt, provehare induſtriâ ſuâ in illud faſtigium ac culmen, in qvod jamdudum concepta de tuo ingenio nobis ſpes te collocavit. Sed cur id nobis difficile ſit, ſtudiorum tuorum conditio facit. Si tibi adhuc tractandæ literæ noſtræ eſſent, conferre tibi aliqvid opera noſtra, qvam parum illud tandem ſit, fortaſſean poſſit; nunc qvum deinceps Juriſprudentiam tractare debeas, ipſe videbis per te, multo te rectius aliorum appellare operam, qvi in eo ſtudiorum genere omnem propemodum ætatem conſumſerunt. Nos enim aut nunqvam, aut leviter ſatis attigimus: autem, qvi tenet qvam optimè artem ali-

qvam, rationem qvoqve ac viam, qvâ aſſeqvi eam fas ſit, monſtrare omnium optimè poteſt. Sed ne qvid dare tibi non videar, audi, ſi libet, qvæ cenſet amiculus: ſed tamen

- - *Ut ſi cæcus iter monſtrare velit.*

Omnium autem diſciplinarnm ac ſcientiarum inſtrumentum commune, & velut manus qvædam *Logica* eſt. Itaqve ea nec hic te poſſe carere intelliges. Sed ſpinoſa illa ac arguta tamen, magnô præteribis animo, de iis tantùm ſolicitus, qvæ rei cùjusqve naturam aperire, & demonſtrare adeo poſſint, qvid veri firmiq; in aliqva ratione ineſſe qveat. Qvarum rerum præcepta qvum olim didiceris, id tantum reliqvum eſt, ut ea, qvæ legis, eò revoces, atqve examines, & videas adeò, tùm unde ducatur argumentum qvodlibet, tùm qvæ vis ac efficacia ei inſit. Qvod te haud fugiet, ſi diligenter attendes, qvomodo conſeqvatnr ex altero alterum, atqve ad eam rem artificum canones adhibeas. Jus ipſum ab inſtitutionipus auſpicaberis. Qvas ſi calleas recte, atqve memoria teneas, multum te profeciſſe exiſtimabo; præcipue ſi illos titulos duos, qvorum alter de V. S. alter de R. J. agit, adjunxeris. Primo autem tuô unius ſtudiô perlegere poteris, tum ut ſcias qvid contineatur, tum, qvô connexæ ordine materiæ ſint: poſtea adhibendus interpres eſt, ſeu qvod magis ſvadeam, peritus aliqvis & eruditus vir, qvi te non modo de ſenſu eorum, qvæ præcipiuntur, doceat, ſed &, qvis hodie

uſus

uſus eſſe poſſit, & ubi Saxonicum jus à communi abeat, in tempore moneat. Hæc enim præcipuè addiſcenda ſunt. Et recte Poëta dixit: *Niſi utile eſt, qvod facimus, ſtulta eſt gloria.* Nam qvod in nihili diſputationibus ætatem terere velis, & tua morari tempora, nugas ages. Qvum iſta tenes, ad Jus feudale progrediere; qvod ipſum etiam ſatis erit per compendia diſcere. Nam minutiſſima perſeqvi tui loci non eſt: atqve ad eos pertinet, qvi forum aut cathedras non excedunt. Te ad majora longe & decus generis, & Patris ampliſſimi dignitas, & tua ipſius indoles vocat. Privato Jure cognitò Publicum erit tractandum. Hoc tibi proponere perpetuo, hoc aſſeqvi aſſidue debes. Hic campus erit, in qvo præcipue ingenium induſtriamqve exercere oportet. Atqve hæc illa *Jurisprudentia* eſt, qvæ *diſciplina Regia* Platoni dicta; qvippe qvæ de firmitate rerumpublicarum, de populorum ſalute & majeſtate Principum conſervanda conſilia init, non privatas minutasqve cauſas diſceptat. Huc qvodcunqve facit, & emolumentum inſigne conferre poſſe exiſtimabitur, evolvendum addiſcendumqve tibi putare debes. Ac in genere qvidem initio cognoſcenda Rerumpublicarum qvarumlibet forma atqve conditio eſt; qvibus rebus aut conſervari aut everti ſoleant: qvæ optimè Ariſtoteles, Plato, Cicero, monſtrare debeant. Poſteà ad ſpecialiora deſcendendum, & ante omnia tum noſtræ tum vicinarum Rerumpublicarum ratio exactius indaganda.

Inde enim omnis vis ac ſalubritas conſiliorum pendet. Cæterum cum ſingularium rerum nulla ſatis plena dari præceptio poſſit, neceſſe erit, omnis ævi monumenta legendo evolvere, & obſervare ibi, qvid in qvaqve re aut recte ſecuti alii ſint, aut omiſerint male. Ut documenta capiamus inde, melius providendi rebus noſtris. Qvos hic Hiſtoricos qvoqve, & qvo potiſſimum ordine legere debeas, non nominabo. Alii dudum præclara illa opera functi ſunt, neqve tu illud ignoras. Id tantum moneo, non veteres tantum, ſed & recentiores tibi legendos, & hos cumprimis, qvi patriæ res perſecuti ſunt. Eò autem ſi & illorum exempla acceſſerint, eò facilius fidem obtinemus. In iſto autem genere qvem Sleidano Thuanoqve præponam, neminem video. Hos itaqve maximè tibi commendatos habe. Sed qvia nemo ſatis rectè aliis aut conſulit ſanè, aut imperat etiam, niſi qvi ſibi præſtare antè utrumqve poſſit: morum & componendi animi ſtudium nunqvam omittendum. Qvo licet non parum Hiſtoricorum lectio conferat, ſubinde tamen & aſſumendi ad partes ſunt, qvi aut decreta de iis rebus, aut adhortationes egregias nobis reliqverunt. Ut ſunt Plutarchus, & ille divinus Epictetus; Seneca etiam & Tullius, aut ſi qvi alii id genus argumenti diſerte nobis ac eleganter petractarunt. Illi autem, qvi nudis jejuniſqve præceptionibus eam abſolverunt, iis carere facilè poteris, niſi qvatenus adjumento memoriæ eſſe poſſint. Nam ad excitandos monendosqve

egre-

gregios animos nihil ſtimuli habent, qvô ma-
me opus. Atqve cum parum ſit, præclaros
nſus concipere animô: niſi decorè & efficaci-
r eloqvi poſſis: in civilibus autem principum-
ve negotiis rectè adminiſtrandis eloqventia
æcipue valeat, tantò magis expediet, diſertiſ-
mos qvosqve auctores, in qvolibet argu-
enti genere legere, qvò magis inde ad elo-
entiam proficere licebit. Qvæ etſi ingenii
axime eſt, plurimum tamen & imitationis &
tis habere debet. Qvare non ad Philoſophos
ntum illos, qvos dixi, ſed oratores etiam Ma-
ſtrosqve Rhetoricos ſubinde tibi digredien-
m memineris, uti aſſiduè non tantum majo-
bus copiis inſtruas animum, ſed ſelectiſſimis
bſervationibus atqve præceptis etiam judici-
n formes. Ex Græcis Oratoribus civilis ma-
me Demoſthenes eſt. In Latinis Cicero re-
num tenet. Sed Plinii Panegyricus ediſcen-
s plane: nec ſeponendi penitus ſocii ſunt, ſed
m judicio tractandi tamen. Nec præter-
nda ſeculi noſtri ingenia ſunt, dummodo id
obe memineris, non eadem decere, qvibus
Conſiſtorio Principis aut Senatu dicendum
, & qvi de cathedra verba faciunt: nec idem
·ιδιδάξειν declamatorium & λόγον eſſe πολι-
κόν. Inter artium ſcriptores primas noſtro ævo
cile tenet Voſſius: ſed id qvod docet, Qvinti-
nus & Cicero in libris ſuis ſimul monſtrant:
non præcepta tantum inde haurias, verum
templa item dicendi. Dionyſius duos Longi-
um & Halicarnaſſenſem alibi laudatos à me

& commendatos facilè recordaris. Qvorum *ἐντοπικά* qvi diligenter legerit, næ plurimum ſibi conſulet, atq; id conſeqvetur certe, ut non abſurde de vitiis virtutibusqve orationis judicare poſſit. Habes in qvibus ingenium induſtriamqve exerceas: qvomodo verò eas operas diſponas atqve diſpenſes, tuum erit diſpicere. Videbatur id eſſe reliqvum, qvomodo expendi, qvos legis, auctores, ſive qva ratione inſtituendi loci ſint, qvò ſingula, qvæ obſervaveris, referas. Sed illud perſeqvi in præſenti non licet, & alii dudum oſtenderunt. Habes apud Lipſium *ep. 61. Cent.* 3. Michael. peculiarem epiſtolam, qvâ agit, qvomodo legendæ hiſtoriæ ſint: habes apud Bodinum *in Methodo* eadem de re. Verſatur & Keckermanni libellus in medio de locis communibus inſtituendis. Alios nihil attinet nominare. Nobis qvid videatur, aliò fortaſſean tempore, ſi placet, diſces. Vale!

CLXXII.

Friderico à Metſch S.P.

FUit qvidem & durum & perdifficile, qvò conflictatus ſum, tempus meum, *Præſes Eminentiſſime*, nihil tamen in eo acerbum æqvè accidit ac triſte, qvàm qvod ab uſu & conſvetudine hominum, ſi non cunctorum, illorum tamen, qvos alloqvi ſaltem & convenire, qvacunqve ratione, levamento maximo fore exiſtimabam, temperandum fuit. Nam qvid hoc aliud videbatur, qvàm infelicem non tantùm me, ſed qvaſi

qvaſi infamem redditum, qvemqve ſic qvaſi bi-lental aliqvod & dirum omen fugere omnes ac vitare deberent. Qva ex re, qvum multum ægritudinis ceperim, tum id cumprimis dolorem attulit, qvod tibi pro collato in me novo beneficio maximo ſtatim, ſimul ac acceperam, gratias agere, ſicut cupiebam, haud poſſem. Qvò major enim in eo προθυμία tua (ut Græco verbo utar) fuit; qvi me, priusqvam peterem aut ipſe, aut alii peterent pro me, Stipendiatorum Electoralium Inſpectorem deſignaſti; tantò me promtiorem qvoqve oportuit eſſe, declarando exhibendoqve officio meo. *Eadem, ſed paulum immutata, ſic habe:*

Non inibo nunc rationem beneficiorum tuorum, *Præſes Eminentiſſime*, qvibus me cumulatum iviſti hactenus. Multa enim maximaqve ſunt, nec paucis verbis explicanda. Sed illud diſſimulandum non eſt, qvo affectus abs te non ita pridem liberaliter ſum, cum electoralium Stipendiatorum me Inſpectorem deſignares. Enimverò qvum προθυμίαν cogito tuam (liceat enim mihi Græco vocabulo uti, dum Latinum æqve efficax haud ſuppetit) qvanta qvæſo illa eſt, qvâ me priusqvam aut peterem ipſe, aut peterent alii pro me, provincia exornandum putâſti? Jam beneficium qvoqve ipſum ita comparatum ſanè, ut ſi deinceps mitiora paulò & æqviora, qvod ſperamus, tempora nobis ſeſe dederint, non parum eqvidem ſolari atqve erigere afflictas noſtras atqve proſtratas fortunas poſſe videatur. Qvare qvo

major in me pietas tua ac benevolentia erga me fuit,eò maturiùs promtiusqve agere tibi gratias etiam debuiſſem. Sed non ignoras, *Domine*, tempus meum, qvô conflictatus hactenus ſum; qvod ut difficile perqvam fuerit ac durum; nihil tamen æqve acerbum nobis accidit & triſte, qvam qvod redactus eo fui, ut & ipſe haberem neceſſe fugere cœtus & conſvetudinem atqve commercia hominum,& alii me ſic qvaſi bidental aliqvod aut dirum omen devitare. Qvod ſi ad pietatem nihil intereſt, aut reddideris ſtatim vota,ſicut concepta illa fuerint,aut tùm,cùm facta ejus copia fuit; ita nec mihi fraudi futurum arbitror, ſi tandem nunc demum, poſtqvam emerſi me nonnihil ex infelicibus illis ſcopulis cum DEO, gratias agere inſtituam, qvia non integrum nobis fuit,cum qvidem id facere tempeſtivum maxime eſſet. Ago itaqve tibi gratias,*Patrone*,ſed verbis & animo tantùm; &, niſi fallor,hoc ſolum eſt,qvod reqviris maximè,cùm collocare beneficia ſoles. Nempe uti ſummum illud Numen conciliari re non aliâ magis,qvàm religione amici ac cultu conſvevit, atqve hoc unum ſibi pro infinitis muneribus poſtulat ac donis,qvæ in humanam genus qvotidie ſpargit; ſic magnæ, & Diis cognatæ aut proximæ animæ cætera omnia calcant facilè, atqve contemnunt, dum mentes hominum, de qvibus egregie meritæ ſunt, obſtrictas ſibi devotasqve teneant,ſolo in affectu pulcherrimum operæ pretium ſtatuentes,qvibus qvidem rebus nemini ulli mortalium, audacter loqvar, unqvam

vam concedam. Nunc opto ac precor à Deo nmortali, ut qvem nunc núper in eundem anum auſpicatiſſimis filiæ nuptiis dedicâſti, lætus c felix, eum non modô ſuccedentibus perpetuò liis aliisqve gaudiis, proſpere finias; ſed & innumeros alios deinceps à tergo feliciter ordines ec ulla unqvam nobis occaſio veniat dolendi riſtandiqve cauſa. Vale!

CLXXIII.
Brodero Pauli S. P.

CUm ex Holſatia & incluta Hamburgo veſtra non ita pridem rediret Schneiderus, Conſultiſſimus atqve Ampliſſimus Vir, non antùm me verbis tuis ſalutavit amantiſſime; ed Apologeticum qvoqve librum, qvem annis uperioribus pro aſſerendo Jure civitatis veſtræ qvâ qvidem provinciâ, ſi qvicqvam judicare oſſum, egregiè atqve magnifice functus es) didiſti, in fidem benevolentiæ tuæ erga me, ratiſſimum mihi acceptiſſimumqve munus exibuit. Qvæ res qvam optata mihi atqve jucunda acciderit, exprimere verbis & oratione donea non poſſum. Qvis enim non gratuletur ibi magnopere, à Viro tanto eô honore haberi lignû, & humaniſſimis rationibus ad amandum olendumqve invitari? Qvotusqviſqve eſt, qvi non Broderi nomen in tantum veneretur & æſtimet, in qvantum non juris tantum, ſed omnis civilis auctus prudentia intelligi poteſt? Ut nunc le ingenio, de gravitate judicii, de cæteris excel-

cellentiſſimis virtutibus nihil commemorem. Qvarum præſtantiam, qvô accuratius penſito mecum, mirari propemodum ſubit, tanti viſum Buchnerum, qvem talibus officiis dignum putares. Itaqve cum nullum hic meum meritum ſit, optimum erit, hoc totum ad qvandam felicitatem referre, cujus cauſas nemo reddit. Qvo magis igitur me par eſt petere, ut hunc affectum mihi continues, eo minus in me invenio, qvô eum incitem ac alam, niſi qvatenus id honore, obſervantia, cultu præſtari poteſt, qvô nulli unqvam mortalium in te qvicqvam concedam. Ego vero Schneiderum deinceps Clariſſ. non eam ob cauſam, qvod amiciſſimi Viri filius, qvod uberi ac luculento ingenio eſt, neqve ſcientia Juris tantum, ſed elegantioribus etiam literis cum paucis excultus; & ut domeſticas etiam neceſſitudines allegem, qvod velut de ſinu ac complexu meo eſt; ſed ea etiam de re amabo, & complectar maximè, qvod juxta bonitatem tuam ei debeam maxime, me tantum in te, non qvidem amicum ac benevolentem, ſed ut verius ac reverentius dicam, inveniſſe Patronum. Vale, A.V. & deinceps qvoqve tuô favore complectere. &c.

CLXXIV.
Johanni Ravio S.P.

Diu ſilui, *mi Ravi*, fateor, & potes tu haud difficulter conjicere hujus ſilentii cauſas. Vides hæc tempora noſtra, hæc, qvibus impliciti, bel-

ella,ſumus: qvæ qvem finem & exitum habitura ſint, qvotusqvisqve noſtrum perſpicere poeſt? Sunt enim in obſcuro poſita omnia, & qvadam velut denſa involuta nocte. Qvid nos? ferenda putare æqvô animô, qvæ mutare noſtræ opis non eſt, & contra fortunam ſpei inſiſtere, qvæ poſtrema homines relinqvit. Non nova ſunt, qvæ patimur. Jamdiu ante hæc fata verſarunt homines, atqve in poſterum exercere haud planè deſinent, ſi tempus & ſeculum erit. Itaqve optimum erit, nihil humani à nobis alienum exiſtimare: & interim tamen promittere nobis:

--- Non ſi malè nunc, & olim
Sic erit. - - - - -

Hæc volui hactenus, ne ἄνευ πϱοοιμίȣ dicerem. Nunc in ipſam cauſam, N. N. præſtantiſſimus juvenis, qvi iſtas perfert, hactenus mecum fuit, & ita egit, ut multis nominibus eum arctiſſime complecterer. Qvi, qvum nunc ex patria in Academiam veſtram perfecturus eſſet, nolui committere, ut ad te ſine literis noſtris veniret, qvi præcipue expetebat eſſe commendatus. Eum itaqve nunc trado tibi, ut ipſi liceat tuo conſilio, auctoritate, qvin & in parte operâ, pro tempore etiam, uti. Amat literas, ut nec illarum ignarus eſt: multum tribuit eloqventiæ ſtudiis, in qvibus tamen optimè ei allucebis facem. Dabis te ei ejus & meà cauſa, videbisqve in eum te hominem contribuere beneficia, qui eorum recte memor eſſe poſſit. Vale, & nos amare

amare perge. De Sparta, qvæ tibi contingit, plurimum & tua & literarum cauſa gaudeo, eamqve tum tibi, tum Reipubl. eſſe felicem precor. Vale iterum, & rem cum tuam, tum Muſarum ſtrenue age. Præfeſtinò.

CLXXV.

Gratulatio Univerſitatis ad Academiam Lipſienſ. de obſidionis liberatione.

QVæ hactenus à Deo immortali pro veſtra ſalute atq; incolumitate rogavimus, precatiq; ſumus aſſidue, ea impetravimus tandem, ac obtinuimus, ut Academiam veſtram ac urbem, ut fortunas ejusqve & liberos conjugesqve ex flammâ & ferro, ac faucibus penè atrociſſimi hoſtis ereptas conſpiceremus. Magna qvidem & incredibili præſentiâ animi conſtantiſſimos cives, ſummâ ac ſingulari virtute fortiſſimos milites reſtitiſſe conatibus hoſtium cognovimus; hæc tamen omnia nunqvam cum habuiſſent exitum, niſi miſericordiſſimi Numinis adſpiraſſet clementia, atqve in eum promoviſſet finem, de qvo, ut boni omnes lætantur meritò, ſic nos præcipue nunc gratulamur vobis. Ac eo qvidem, ut ita loqvamur, exultantiùs, qvo magis ſolicite húc usqve timuimus vobis. Miræ profectò in iſtis bellis fuerunt vices urbi veſtræ, qvæ ter redacta in poteſtatem hoſtium, qvater vero concluſa arctiſſime atqve obſeſſa, ſemper tamê perqvam mirificè conſer-

ſervata ac liberata fuit. Pro qvo DEUM nunc veneramur, ut tùm veſtram, tùm noſtram qvoqve & Academiam & urbem, qvin univerſam afflictiſſimam patriam in poſterum qvoqve ſibi perpetuò curæ habeat, hæc impia arma, has vaſtitates atrociſſimas avertat longe atqve prohibeat. Vobis autem de liberata ac conſervata urbe gratulari in præſenti, ut noſtri omnino officii exiſtimavimus, ita dubitavimus minimè, hunc affectum & pietatem noſtram gratam vobis atqve jucundam fore. Qvi ſicut benevola omnia atqve amica ab Academia veſtra nobis promittimus; ita ſtudebimus viciſſim ſemper, ac dabimus operam, ne qvid illius deſideretis in noſtro ſtudio, qvod ad exiſtimationem, honorem ac utilitatem veſtram facere poſſit. Valete!

CLXXVI.

PETRO CUNÆO S.P.

FEcerunt Nobiliſſimi Domini à FRIESEN literæ maximè, ut ad te in præſenti iſtas darem. Nam cum miſiſſet illas, ut procurarem ad te, pudori fuit ſolas venire. Multum autem te amo, *CUNÆE Ampliſſ.* qvod Hartvvigium noſtrum, cùm tradidiſſem tibi, tantâ benevolentia complectendum exiſtimaſti. Qvi ut eruditionem tuam ſatis admirari non poteſt, qvod ex literis ejus didici; ita nihil ſe dignum comminiſci poſſe ſcribit ſummâ illa humanitate tua, qvâ eum afficere ſoleas. Qvam de *Joſe-*

pho

pho nobis faciebas ſpem,eam qvam primum ut expleas nobis,etiam atqve etiam à te peto. Ita enim exiſtimo, qvamdiu illius abſolutiſſimi operis editionem differs, nos multas magnasq; res ignoraturos. Age igitur, *ſumme Vir*,

—— *Rumpe moras omnes*,

Et qvicqvid vinculorum pulcherrimis commentationibus nectitur, prorſus abſcinde: nec patere nos diutius deſiderio ejus contabeſcere aut emori planè. Nos ſtrenua exercet inertia: nam qvum per diritatem noſtri temporis,& afflictiſſimas patriæ res nihil ſit,qvod irritet ingenium atqve commoveat, totum nempe jacet, & omnis elegantiæ obliviſcitur prope. Hamburgenſis negotiatio lente procedit, agunturqve per ſilentium omnia: qvaſi Eleuſinia ſua peragant Myſtæ. Interim noſter in æſtiva concedit, qvæ pro hybernis ipſi in his provinciis conſtituta ſunt. Ex qvô id fiet,ut,qvicqvid reliqvum eſt ex ſuperioris anni naufragio & tempeſtate, id totum in cineres redigatur. Qvare obdurare animum oportet, ut,qvanqvam vix eſt, qvod poſſimus ſperare, nihil tamen interim deſperemus, Vale!

CLXXVII.

Conr. Davidi Büchero S.P.

Mi præſtantiſſime Büchere,

QVia occupatiſſimum invenere literæ tuæ, nec Germanica tua perlegere, nec de Ser-

via-

viano illo ſcholio, qvid ſtatuendum videatur, potui reſpondere. Ejusmodi enim ſunt, qvæ in præſenti detinent, ut nullam omninò moram ferant. De cella Generoſæ Dominæ ſatisfiet, ut petiit. Præcipuè ſi non magnus modus fuerit ejus, qvod condendum eſt vini. Ego proximè aurigarium veſtrum, cum hùc Dn. Groſſium perveheret, rurſus fruſtra expectavi, qvamqvam id conſtitueram per Mariam veſtram. Ideò fit, ut *Opitii Pſalmi* tardius paulo veniant, ſed nunqvam non rectè veniunt, cum grati. De cæteris proxime; nunc valete omnes & ſalvete! Wittebergæ.

CLXXVIII.

Friderico à Metſch S. P.

VIcerunt tandem vota noſtra, *Præſes Eminentiſſime*, & qvicqvid hucusqve à Deo immortali precati ſumus pro te, abunde tenemus. Rediiſti feliciter, qvod bene vertat Deus, ex munere ampliſſimo, & qvæ in tenebris qvibusdam qvaſi ſuo privatæ ſole, miſerum in modum contabuerunt Muſæ hactenus, næ ad exoptatiſſimæ tuæ lucis radios, qvos hauriunt iterum, recipiunt ſpiritum veluti ac erigunt ſe: qvin victæ impotentis gaudii vi, exiliunt prorſus de ſinu noſtro, perqve media arma feſtinant erumpere, & deſideratiſſimam dextram Patroni reducis oſculari coram, & venerari. Dabis autem veniam inconſultæ ipſarum pieta-

ti,qvæ tanto nunc magis gratulandum tibi ſtatuunt,poſtqvam depoſuiſti partes ampliſſimas, cum ante ſummo ac ſingulari judicio tibi ab Electore Sereniſſimo demandarentur, qvantò qvidem difficilius eſt, decedere provinciâ cum maxima laude, qvàm in eam venire. Non commemoranda pericula ſunt, non cætera moleſtiarum exponenda, qvibus & ſemper alias, & nunc cumprimis itinera objicere timorem profectis peregrè ſolent: hæc enim magnæ mentes vel comtemnunt ultrò, vel publico donant libenter, cujus potiſſimum cauſâ ſe natos putant. At difficultates negotiorum, qvibus te diſtineri hactenus oportuit, deliberationes graviſſimas, qvæ inſtituendæ fuerunt, qvibus verbis ſatis explicabo? Non gratulationem detuliſti aliqvam, aut principale munus: non miſſus es ideo, ut ſolareris luctum alicujus cognati: qvalium rerum cauſis non raro deſtinari alii Oratores ſolent: de vindicanda dignitate ac libertate Patriæ, & ſtabilienda religione, de componendis his turbis tantis, belliſqve, qvibus perimus tot annos, inauſpicatiſſimis; & cui nunc deinceps cumprimis tantarum rerum adminiſtratio committenda eſſet, ad ipſa S. R. Imperii comitia veniſti legatus. Ad qvæ omnia rectè agenda conficiendaqve, qvantâ virtute, qvantâ induſtria & indefeſſo ſtudiô, qvanta ſapientiâ etiam & perſpicaciſſima prudentia opus eſt? Cum qvieta pacataqve omnia ſunt, &, ut Poëta ita: *Sudum undiqve cœlum ridet*, in facili eſt, invenire rectorem, qvi curſum temperet,

c teneat portum; at vero cum magnum mare
urgit, cum late omnia inhorruerunt tenebris
c multa ubiqve mortis naufragiiqve obver-
itur imago, tùm legere & deſtinare arduum
ſt, qvi laborantem qvaſſatamq; miſere navem
x hyeme & tempeſtate crudeliſſima ſervet.
ætor itaq; & omnibus modis triumpho, qvod
: non modo incolumem ex tanta legatione
:dire videam, ſed magnæ etiam prudentiæ at-
ve invictæ conſtantiæ florentem laude. Qvæ
ò tibi certior ſtabiliorq; futura eſt, qvod ipſum
acratiſſimum Imperatorem, ipſum invictiſſi-
ium Romanorum Regem, cæterosqve Imperii
roceres, & tòt maximorum Principum Lega-
s, autores ejus, aut teſtes habes. Multa qvi-
:m eximiaqve decora, perpetua acceſſione ad
transmiſit majorum tuorum nobilitas: plura
:c minus inſignia jam ante virtute tua ac ſtu-
iô peperiſti tibi: ſed qvò illuſtrior ornamentis
is reliqvis hæc recens parta ex legatione am-
iſſima, qva es perfunctus tantâ laude, gloria
t, eò majorem qvoqve te apud poſteros, ſi
i futuri ſunt, faciet, ut illos non minus in ad-
irationem meritorum tuorum rapias, qvàm
oſtrum tibi devinxiſti ſeculum ac obligaſti.
vamdiu auſpicatiſſimæ, ut ſperamus, electio-
s extabit memoria, qvamdiu horum comitio-
m fama durabit, tamdiu etiam vigebit & cele-
atio nominis & incomparabilis virtutis tuæ.
ec unqvam qvicqvam felicitatis, qvam ma-
mam auguramur, aut in nos ipſos, aut in ne-
tes noſtros promanabit inde, qvin magna e-

jus pars debeatur tibi, qvi cæteris omnibus poſthabitis, id unum ſtuduiſti maximè, id unum cumprimis dediſti operam, ut conſuleretur publico, ac illud optimum ſanctiſſimumqve videretur, qvod juxtà omnibus prodeſſet. Qvod ut ſolum maxime facit ad reducendam pariter & confirmandam concordiam, ita nunc neceſſarium cumprimis in iſtis turbis. Deus, qvi tibi hanc optimam & generoſiſſimam mentem indidit ſemel, conſervet perpetuò, teq; qvàm diutiſſimè valere ſinat, & bonis innumeris augeat, ut diu interſis cœtibus hominum, præcipue verò ſublapſas res noſtras poſtratasq; erigas non tantum conſiliis, ſed ſtabilias etiam ac firmes. Si qvid nobis interim conferri poterit in laudes tuas, non deero pietati meæ, nec ullum qvemqvam celebrabunt libentius noſtræ Muſæ, qvàm cujus potiſſimùm fretæ præſidio, timere parcius poſſunt vel ipſam hanc temporum diritatem. Vale nobiliſſime Domine, & mihi favere ne deſine.

CLXXIX.

Chriſtiano Gveinzio S. P.

Clariſſime ac Celeberrime Vir, Domine Compater atqve Amice, & vetuſtiſſime & conjunctiſſime.

DE *Cæſio noſtro* plane aſſentior illuſtriſſimo Principi. Novandi libido, addo & ἀλαζονείαν, juvenum maxima vitia ſunt: itaqve cum ætate ponet, præcipuè admonitoribus tantis

ad-

adjutus. *Dn. Harsdorfferi* inſtitutum mirifice placet. Sed penſi habenda maxime duco, qvæ ſuper eo idem illuſtriſſimus noſter monuit præclare. Neqve nunc incidit, qvod addam. Ad inſcriptionem qvod eſt, ego certè illud Majeſtätiſche probare magnopere haud poſſum. Non qvod peregrinæ originis ſit; ſed qvia magniloqvum videbatur. Ego enim librorum titulos non niſi ſimpliciſſimos ac modeſtiſſimos probare conſvevi. Id enim gravitatem habet: magniloqventia vanitati aſſidet. Satis erat die Deutſche Haupt-Sprache dixiſſe. Bonæ merci nullo mangonio opus eſt. Meretricis eſt, fucis atqve coloribus trahere: honeſta matrona ingenuâ pulchritudine placet. Jam pro illo Kunſtfüglich mallem ordentlich/oder in guter/ vel in richtiger Ordnung dixiſſet. Nonne enim hoc idem, qvod methodicè eſt, qvod hic exprimere voluit? Qvid novis fingendis opus, qvum uſitatorum copia adeſt? Ergone omnia iſtiusmodi efferri per adverbia neceſſe eſt? Multa ad iſtam faciem novare Latini Græcorum imitatione poterant, ſed alienum putarunt à lingvæ ſuæ gravitate. Scio hæc nova ſupra modum placere nonnullis: nec nego plane ad locupletandam lingvam noſtram conferre nonnihil talia; ſed ad ſplendorem & majeſtatem conciliandam facere admodum, nunqvam dixerim. Sed nôſti illud: SUA CUIQVE SPONSA. Et per me qvisqve *ſenſu ſuo abundet*. Vale!

EPIGRAMMA ALBO CÆSII INSCRIPTUM.

Qvid gloriam appellabo? teſtimonium
Virtute partum, & publice a fama datum.
Ut aſſeqvare gloriam, qvid eſt opus?
Nil gloriare. Si qva ſed virtus Tibi,
Oſtende factis; laude mox alii hac ferent,
Magisqve tollent, ipſe qvo jactas minus.
Laudare ſemet, vanitatem prodere eſt:
Aliiqve dement, ipſe qvod dederas Tibi.

CLXXX.

COLLEGÆ cuidam S. P.

M*I amiciſſime Collega*, hoc ipſo momento profeſſus ſuum nomen apud me S.R. eſt, ut noſtris privatis ſcholis intereſſet. Cepit me mirifice & ſermo adoleſcentis, & facies ſatis ingenua: & ſatis idoneum puto ad ſuſtinendam provinciam, de qva egi tecum. Idcirco, ſi nondum collocutus cum ipſo es, mature id facias, ut voluntatem ejus explores, rogo. Vale!

CLXXXI.

Conr. Davidi Büchero S. P.

M*I Optime & eruditiſſime Büchere*, proxime ad te ſcripſi, ut chartæ veſtratis aliqvid tecum

eum afferas, qvâ uti ipſe deinceps poſſim, de qvo ut memor ſies etiam atqve etiam nunc abs te peto. De bobus aratoribus etiam interpellavi te, ſi rectè memini, qvi an venales ibi inveniantur, à te etiam cupio moneri. Dabis veniam, qvod hoc uſurpem mihi juris in te. Habebis viciſſim me paratum ſemper ac promtum ad exhibenda ea præſtandaqve, qvæ tibi alicui commodo eſſe qveant. Vale, *mi Optime & Amiciſſime Büchere*, & brevi te nobis cum nobiliſſimis diſcipulis amplectendum ſiſte. De Rudolphi valetudine valde ſolicitus ſum, qvam ut recuperet qvam primum, niſi jamdum id à Deo impetraverit, oro & precor.

CLXXXII.

Danieli Heinſio S. P.

NEmo eſt in noſtra nobilitate, qvem ob eruditiſſimi ingenii excellentiam & ſummas animi dotes aut æſtimem magis, aut arctius etiam complectar, qvàm HENRICUM à FRISEN. Homo ad ungvem plane factus, ut qvicqvid de eo dixerim, miuus fuerit. Is itaq; intra paucos dies binas ad me permiſit tibi inſcriptas: qvæ cum ad te curandæ eſſent, facere non potui, qvin ipſe qvoqve ad te, neſcio qvid hujus, feſtinarem. Nam licet ipſa amicitiæ vis, & ſtudii noſtri erga alios in hoc officii genere haud conſiſtat per ſe, gaudet tamen magnitudo ejus ſic declarari, & veroſimile eſt, qvi nos ſalutant crebrius, hos & magis amare. Qvod tamen

men & in præſenti facere me, & facturum deinceps ita cenſeas, ne qvid tibi moleſtiæ naſci qveat. Qvare liberum erit reſcribere mihi, qvoties & qvandocunqve libuerit. Nolo enim nobiliſſimas tuas meditationes diffundi his noſtris frivolis, & interpellari. De *Exercitationibus tuis ad novum fœdus*, iterum, ut vides, faceſſo negotium. Dici non poteſt, qvàm incredibili deſideriô videndi tàm pulchrum & abſolutum (neqve enim aliter de curis tuis judicandum eſt) opus tenear. Deus bone! qvam multa ibi docebis & diiſſeres, qvæ neqve pædagogorum vulgus unqvam capiet, & eruditiſſimi viri hactenus ignorarunt. Maligni autem & lividi, ut reprehendant & rodant, conficere tamen & delere haut poſſint. Qvare hoc ſtude, hanc nava operam, *Heinſi Maxime*, ut qvam primum copiam ejus libri erudito orbi facias, qvem qvantoperè tibi ea ratione obſtricturus ſis, nec ego, nec qvisqvam alius facilè exprimet. Horum locorum miſerrima longe conditio eſt: poſt luem ſæviſſimam, qvæ graſſata ſuperiore anno eſt, nunc dira in nos incumbit fames. Qvæ qvum reductæ nunc copiæ noſtræ in hyberna ſint, tantum abeſt, ut minui poſſit, ut indies potius incrementa capiat, magis magisqve incendatur, latiusqve ſe ſpargat. Nam ſuper veteres & nondum curatas, novæ jam invehuntur clades: ac iis qvidem locis, unde neceſſitatis noſtræ ſolatium maximè expectamus. Scripſi ad te proximè de eruditiſſimi Viri *Eraſmi Schmidii* exceſſu: petiiqve abs te, ut pro amore eo,

qvo

qvo ſenem optimum, cùm viveret, complexus es, aliqvô carmine manes ejus honorares. Cujus cùm nihil hactenus ad me pervenerit, easdem iterum precandas preces exiſtimavi. *Ταμεῖον ejus novi Teſtamenti* nunc prodiit: *Novi Fœderis verſio cum notis ejus* typographum expectat, ut & qvæ in *Lycophronem & Dionyſium* idem ſingulari diligentiâ ſcripſit. Nos ſtrenua exercet inertia, neqve enim ſunt, qvæ irritent ingenium ac moveant, qvod per iniqvitatem temporum magis magisqve contabeſcit. Vale, *Excellentiſſime Domine*, &c, ut cœpiſti, me amare perge.

CLXXXIII.

N. N.

QVi hactenus modeſtiæ meæ hoc ſemper temperamentum indixi, ne majora meritis meis ambire viderer, in præſens neſcio qvô factô impulſuqve ſupplices literas ad vos exarare, veſtrasqve curas precibus fortè importunis interpellare ſuſtineo. Ignoſcite mihi, *Academiæ ſex lumina*, ſi qvid deſigno. Tueor enim me ſingulari benevolentiâ veſtrâ, qvæ magnetis inſtar ad vos trahit devotum pectus. Sexennium effluxit, & qvod excurrit, ex qvo ſummis in Philoſophia honoribus mactatus à vobis, inſigne documentum veſtræ in ſtudia mea propenſionis publicè cœpi circumferre. Pro qva vobis nihil magis referre poſſum, qvàm gratias, nihil ſpondere ſolenni-

lennius,qvàm præcordia, nec non cum perpetuo amoris veſtri encomio debilitatis meæ confeſſionem. Cæterùm, qvanqvam exinde Theologiæ ſacris operatus ſum, oculos tamen ſubinde reflexi ad amata illa Philoſophiæ Tempe,in qvibus luſerat adoleſcentia mollis.Qvippe novi, *B. Baſilium* ſanctis ſtudiis initiatum ſimul ad ſecularis ſapientiæ cultum vocari, in cujus adyta ſuum qvoq; *Licentium* prolectare legitur *Auguſtinus*. Nec me fugit, *Cyprianum* laudari, qvod templum Domini *Ægyptiis ſpoliis* locupletavit: imò qvàm ſibi blandiatur *Hieronymus de adamata captiva*. Hinc nullus dubitavi horas aliqvot ſubſecivas conſecrare ſobriæ Philoſophiæ, non ſolum proximo à promotionis actu biennio, ſed & ſubſeqvente, cum ad *Gerhardi* pedes feſſitavi, privatimqve nonnullos ſtudioſos informavi in S. lingva, ſed etiam ultimô hoc in exteris Academiis tranſacto, qvantum qvidem licuit peregrinanti per temporis compendium, librorum inopiam, itinerisqve verſabiles vices. Nec jam reverſo illicitum fore credo, Salomonis exemplô venuſtas aliqvot puellas domi alere, modo divina ſcientia ſit unica formoſa mea & columba, ſiqve qvod caput rei eſt, omnia referam ad Chriſtum. Qvod meum inſtitutem atqve propoſitum ſecundabitis egregiè, ſi &c.

CLXXXIV.

N. N.

SUccurrere inopiæ, & eſſe vetare miſeros, cùm in communi homines, tum Chriſtianos, cumpri-

primis decet. Idcircò dabis veniam N. ſi peregrinum iſtum hominem, & nihil minùs qvam felicem fidei tuæ commendem. Qvi poſteaqvam animadvertiſſet, nullo ſe fermè operæ pretio Gallicam Lingvam, qvæ ei vernacula eſt, docere apud nos, adeoqve metueret, ut ſibi neceſſarii ſumtus in hyemem ſuppeditaturi eſſent, ſtatuit ſecum Dreſdam ire, & ibi periclitari fortunam, ratus fore, ut in magnatis cujusdam familiam ſe poſſet tradere, aut aliam qvampiam honeſtam conditionem invenire. Ad eam rem cum ſibi fautoribus maximè videret opus, enixè à me inſtituit petere, ut amicorum nonnemini deſideria ſua commendarem; Tum tu præcipuè occurrere N. cui *Hubertum* iſtum *Hermontium* [hoc ipſi nomen eſt] exiſtimarem tradendum. Ac ego qvidem de eo qvæ prædicem magnopere, tibiqve pollicear, non habeo: qvippe qvòd ita familiariter uſus non ſim: Soles tamen non ita obſcurè Gallorum favere ingeniis, qvorum lingvam tu ita calles, ut civem ſuum putare poſſint. In eo accedit & Juris, qvod profitetur, ſtudium, amorqve Muſarum, qvarum certe amorem qvoqve profanum oſtendunt verſus, qvos mihi non ita pridem exhibuit faciles illos, nec ſuo acumine deſtitutos: qviqve recedere minarentur à langvore illo & frigore noſtrorum Poëtarum, ſeu Verſificum potius dicendum ſit. Qvod qvanti æſtimare ſoleas, & tua oſtendit inſignis eruditio, & lectiſſimæ venuſtatis carmina, qvibus non raró otium tuum, ſi qvod datur, oblectare ſolitus

tus,eloqvuntur. At Juris artem tu ita tractas, ut pauci eâ laude tecum conferri poſſint. Qvod cum ita ſit, non dubitem, te amplexurum eſſe in *Herimontio* rerum illarum ſtudium, qvas in te omnes tantopere amamus pariter & admiramur Qvocirca favebis miſero,& ejus conatus provehes,qvoad poteris in ea etiam cauſâ. Nam qvantum confidam amore & benevolentiâ tuâ erga me, qvam mihi nuper præſenti declaraſti, vel iſtæ ipſæ literæ erunt teſtimonio, qvibus *Herimontium* tibi tam confidenter commendavi. Habebis igitur ejus rationem, qva poteris: & me tui obſervantiſſimum inpoſterum ſemper amabis.

CLXXXV.

Godofredo Schneidero S. P.

Clariſſime Vir,

DE qvæſtione illa accuratiùs cogitanti multò aliter videtur,qvàm putabam initio, & tu videris ſentire. Vita qvidem pro Republica ac Principe poni honeſtiſſimè rectiſſimeqve, ſi eſt neceſſe,poteſt: bonæ famæ, hoc eſt, bonæ conſcientiæ diſpendium neqve pro Principe,nec pro Republica faciendum eſt. Vita res corporis eſt; & eâ obligamur Reipublicæ atqve Principibus: fama & conſcientia bona ad animum pertinet, qvo ſoli Honeſto ac Deo obligamur, qvi ante Principem atqve Rempubl. habendus eſt. Iſto reſpectu igitur vitæ potiùs adeundum diſcrimen eſt, qvàm ut vel Principis vel Reipubl.

Publ. cauſâ exiſtimationem velimus amittere. Non, ne malè audiamus, ſed in honeſtum, in conſcientiam, in Deum adeo ne qvid peccemus. Neqve enim famæ periculum niſi ex flagitio aut ſcelere imminet: & hæc admittere, eſt in honeſtum, in conſcientiam, in Deum peccare. Themiſtoclis exemplum, quid fiat, aut poſſit fieri, docet qvidem: non qvid debeat. Et ſi exemplis nitendum, nihil illicitum fuerit. Et fuit Themiſtocles paganus: nobis adductius vivendum eſt. Putavit Ariſtides, Juſtus ille, Reipubl. cauſâ aliqvando licere ἀδικεῖν: qvis verò Chriſtianus conceſſerit? Neqve enim facienda mala ſunt, ut eveniant bona. Qvanqvam id ſæpe in Chriſtianis etiam videas; qvi qvam ſæpiſſimè & illud tyrannicum, impiumqve ſi fortè non dicto, at rebus ipſis aſtruunt, [*Cic. 3. Off. c. 21.*(

- Si violandum eſt jus, regnandi gratia
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.

Et multi illud Taciti prætexunt: *Omne magnum exemplum aliqvid ex iniqvo habet:* nôſti cætera. Sed *iſtam Politicam*, inqvit Förſtnerus, *mitis magiſter ac Dominus noſter Jeſus Chriſtus non, credo, agnoſcet.* Cujus loci qvantus abuſus ſit, Bœclerus qvoqve noſter (*ad cap. IX. Annal. I.*) oſtendit; qvi verum ſenſum declarat. Ita cenſeo. Vale &, ſi qvid noviſti rectius iſtis, candidus imperti.

CLXXXVI.

CLXXXVI.

Friderico à Metſch S. P.

Generoſe Vir,

Auſus ſum, nobiliſſimum nomen tuum neſcio cui oratiunculæ meæ præſcribere, qvam proximi anni fœturâ edidi qvidem, ſed nunc vix licuit tollere per eos, ſine qvibus in vitam aſſeri non poterat, hoc eſt, venire in publicam lucem. Usqve adeò premuntur undiqvaqve literæ: nec tantùm difficile eſt, inter hos armorum furores excudere aliqvid legendum publicè; ſed invenire ægre licet, qvi efficiant, ut illud publicè legi poſſit. Qvanqvam fortuna iſthæc ex meritô fortaſſis meum verſarit libellum. Qvem melius erat domi perire inter literas, qvàm publicè cenſorum ſeveritate jugulari. De qvo tamen tuum judicium, *Præſes Ampliſſime*, audire malo, qvàm ſeqvi meum. Peccamus enim plerumqve Parentes, cum de noſtris ſententiam ferimus; Atqve vel plusqvàm par eſt, illis tribuimus, vel detrahimus, qvod minime oportebat. Ego abs te, *Præſes Ampliſſime*, eâ, qvâ par eſt, reverentiâ peto, ut non ingratum tibi eſſe ſinas hoc ſtudium noſtrum, & ut benevolentiâ tuâ deinceps qvoqve complecti velis, & ad præclara audenda excitare eum, qvi qvalicunqve iſtâ memoriâ pietatem ſuam erga te voluit declarare.

Vale!

CLXXXVII.

CLXXXVII.

Daniel Heinſio, S. P.

INgens vulnus tuum, *Ampliſſime Vir*, qvod uxoris obitus inflixit, ex literis Vincentii Fabricii præſtantiſſimi juvenis, & qvæ adjunxerat carmina, qvorum alterum ipſe condiderat, alterum divinitate ſuâ facilè te prodebat auctorem, licet nomen abfuiſſet, maximè accepi. Afferre ſolatium & medentes voces, ſerum eſſet nimis. Et perqvam verendum, ne mihi idem accidat, qvod Ilienſium legatis in Tiberio uſu venit. (*Sveton. in Tiber. c.5.*) Habes ex illa ſvaviſſimos liberos: hi tibi defunctæ deſiderium lenient; habes virtutes ejus maximas, qvas ubi contemplaberis, eâ nunqvam poteris carere. Qvæ ut æternæ ſint, & omnibus notæ, tuo incomparabili illo carmine, qvod nunqvam ſine ſtupore & admiratione lego (lego autem ſæpius) effeciſti. Neqve profecto tibi integrum eſt, ut poſtqvam docueris nos contemnere mortem, & conculcare ejus timorem, dolori tuo ob defunctam Elmengardin tuam plus nimio indulgere velis. Non poſſum autem hoc loco facere, ὦ θαυμάσιε, qvin explicem animum meum, qvô illos libros tuos proſeqvi ſoleam. Enimverò ut cæteris monumentis ingenii tui omnes Poëtarum laudes tranſcendiſti longè; ita in his temet ipſum ſuperâſti. De Homero nihil dicam; perfectius & abſolutius dare ipſe Maro non poſſet. Attigiſti metam humani ingenii, ultra hoc faſtigium, nulla Poëſis aſcendet.

Et

Et qvando ſemel tibi moleſtus eſſe cœpi, appingam & verſus,qvos inſcripſi libro meo, quos & FRISII τȣ̃ γεννάιȣ codex, qvo eum donavi, (neqve enim pretioſius dare poſſe exiſtimabam) præfert. Volebant abdere ſe atqve ſubtrahere calamo,ne in conſpectum ejus producerentur,cui probare ſe omninò non poſſunt; ſed caſtigavi immorigeros,& vel invitos protraxi,& erit hoc ipſum pro pœna, ut non probentur. Vale!

CLXXXIIX.

Commendatio ejusdem Candidati.

QVi te accedit Juvenis, *Georgius Schneider*, *Döbel. Miſnicus*, abs te, *DECANE ſpectabilis*, officioſè ac reverenter petit, ut in eorum numerum recipiatur, qvibus diebus ſeqventibus cum Deo, poſtqvam de eorum doctrina privatim ac publicè factum judicium fuerit, ſummi in Philoſophia honores conferendi ſunt. Qvod ut faceret, eorum imperio atqve auctoritate adductus eſt, qvibus ſine manifeſto crimine refragari non poteſt. Eum autem qvod paucis tibi tradidero, recordari debes illius Pindarici: *Ad bonam cauſam tria verba ſufficere.* Malæ enim & dubiæ cauſæ eloqventiâ ac artificio opus, non qvæ per ſe facile bonis probari poteſt. Etſi verò jam olim noſter ab Academicis ſtudiis retractus,atqve in ſcholaſtico hactenùs pulvere volutatus eſt, tamen non dubito, qvin eum ſe nobis oſtenderit, unde conſtare poſſit, non tàm ingenium & voluntatem ad

præcla-

præclara capeſſanda ac abſolvenda ſtudia, qvàm facultatem defuiſſe. Sed ſi egregium carmen, & qvod ad veterum elegantias aſpirat, invenire laudem poteſt; ſi ſemper favore digni habiti, qvi fugientem literarum humanitatem revocant & pro virili ſuâ tueri ſtudent: minimè dubito, qvin & literatiſſimum juvenem omni benevolentiæ genere complexurus ſis. Qvò te & illa ipſa provincia, qvam noſter ſuſtinet, invitare poteſt. Nam ſi à teneris multum aſſveſcere eſt, qvinam humano generi utiliorem opem conferunt, qvàm qvi ingenuos pueros liberaliter inſtituunt? Qvocirca abs te etiam atqve etiam peto, ut hunc optimum juvenem qvàm commendatiſſimum tibi habeas, & nihil intermittas eorum, qvæ ad promovendas ipſius utilitates facere videbuntur.

CLXXXIX.

Danieli Heinſio S.P.

QVum præſtantiſſimus juvenis, Melchior Albertus, ex noſtra Academia in veſtram cogitaret, nihil prius ſibi appetendum cenſuit, qvàm te videre, eum virum, qvem ætas noſtra maximè admiratur. Plus dicerem, niſi apud te fieret. Peto igitur abs te, Nob. Heinſi, ut eum, qvod ſoles, comiter admittas, & ei impertias aliqvot radios tui, ut ita loqvar, ſolis. Qvæ res profectò erigere non modò ad honeſta & recta ingenium ejus poterit, ſed nutrire etiam atqve fovere. Mihi verò id tàm gratum erit qvàm honorificum. Vale feliciter.

CXC

EIDEM S. P.

SUperioris anni æſtate, Nobiliſſ. Heinſi, cum D. Hülſemannus ex Friſia ſua, ubi paternam hæreditatem, ni fallor, habebat cernendam, in Batavos veſtros excurreret, ad te dedi literas. Ad qvas licet nondum reſcripſeris (& nunqvam non te divina, qvæ exſculpis qvotidiè, opera occupatum tenent) tamen non ingratas fuiſſe audeo ſperare. Qvamvis enim ingenio & doctrinâ parem neminem habeas: tamen eâ qvoqve humanitate polles, ut vix putarim, te faſtidire nomen noſtrum poſſe. Qvod cũ in multis cognovi dudum, tũ præcipuè ex Heinrico Friſio, ſummo juvene & ad maxima qvæqve nato, qvotidiè penè, ex qvo familiariter nobiſcum vivere conſvevit, abundè percepi: qvotidiè enim id penè prædicavit. Nunc ad vos acceditM. Schneiderus, non vulgari ingenio juvenis, & pro iſtius ſeculi genio Philoſophiam egregiè doctus. Qvi cùm pro eo, qvo eſt in viros magnos & celebres maxime affectu & ſtudio planè ſingulari, mirificè tibi innoteſcere cupiat, petiit, ſibi aditum ad te meis literis pararem. Tu qvidem eâ comitate præſtas, Heinſi, ut nemini non patere ſoleas, qvi aliqvod pretium ponat literis, & bonam mentem amet: tamen nihil denegare potui, qvod ei gratum eſſe intelligerem: vel ob parentem optimum, cum qvo mihi hactenus amicitia non levis intercedit

dit: cujus omnino habenda ratio;& nobis qvoqve non fuit negligenda occaſio, qvâ meum ſtudium erga te, & obſervantiam, qvoqvo modo poſſem, teſtificarer. De Academiâ, de Reip. univerſæ ſtatu ipſe Schneiderus poterit docere. Certè dubia adhuc & incerta omnia: ut cum non ſimus infeliciſſimi illi qvidem, tamen laborum noſtrorũ exitum nondum videamus, inter ſpem, metum & timores. Sunt qvi neſcio, qvam ſpem nobis fecerunt, nos brevi viſuros laudationem funebrem, qvam maximo & inviĉtiſſimo Svecorum Principi adornares. Qvod ſcripti genus eò impatientiùs exſpectamus, qvò admirabilior nobis Panegyricus tuus, eidem divino Heroi dedicatus, de qvo profectò, qvicqvid dixero, minus erit. Nam noſtras laudes & penè ipſius ſeculi captum excedit. Profecto tu unus ille Apelles es, qvi Alexandrum iſtum poſteritati digne depingat. Vale, *Summe & Nobiliſſime Vir*, & patere nos inter amicos tuos aliqvem locum deinceps habere.

CXCII.

Nobiliſſimo Döringio S.P.

ET virtus tua, *Magnifice & Nobiliſſime Domine*, & illud inſigne ac planè inuſitatum ſtudium, qvo tu præcipuas divinæ pariter atq; humanæ ſapientiæ partes aſſerere conaris, obligaturus tibi monumentis æternis non modo ævum præſens, ſed omnem longè poſteritatem etiam devincturus, facere poteſt, ut omnes, qvi aliqvo

ingenio ſunt atqve cum Muſis elegantioribus paulò familiarius conſervantur, qvicqvid aut felicitate indolis, aut ſtudio atqve induſtria navare poſſunt, id omne ad evehendum decus tuum, & famam tàm auſpicati nominis conferant, atqve impendant. Nam ſi & multò minora ſæpius vindicare ab oblivione laboramus, qvantò magis pro tàm divinis curis debetur tibi, ut qvisqve pro te hæc tàm præclara merita tua in gloria immortali ponere ſtudeat. Et certè non alio ullo pretio, ut mihi videtur, invitatus es, cùm primùm cœpiſti explicare hanc tui conſilii rationem, qvam qvod in tuis tibi laudibus grata poſteritas rependet. Neqve enim aliud, opinor, eſt, qvod tibi pro tàm divinis curis, pro tot immenſis ſumtibus, qvos tu qvotidie, ut ſtudiis ſapientiæ conſulas, nova & noſtrâ hac tempeſtate inaudito prorſus exemplo facis, rependant, qvâ ut præclara hæc tua merita, & qvæ ſat nemo deprædicare poterit, in immortali gloria pro ſe qvisqve ponere ſummopere ſtudeat. Neqve profectò, qvæ magnitudo animi tui atqve præſtantia, ullô aliô pretio ad id ſuſcipiendum es invitatus. Mihi verò ut in hanc curam incumberem, peculiaris qvoqve & velut domeſtica cauſa acceſſit, ex qvo Ampliſſ. Vir, JOHANNES GEORGIUS OPPELIUS, Sereniſſ. Electoris Saxon. Conſiliar. feliciſſimis nuptiis tibi gener factus, paulò arctiorem affinitatem cum domo tua clariſſima contraxit. Nam cum maternam originem mecum ex æqvo dividat, & noſtrum uterqve ab una proavia ducamus ge-

genus; annitendum mihi ſummopere exiſtimavi, ut ſacrum & veneratum mihi ejus eſſet nomen, qvi ſuo ſplendore eximio & inſolito me illuſtrare non modò, verum etiam ſalutaris præterea ſideris more fovere qvoqve, ac in ſpem fati melioris erigere poſſet. Ac cùm non ita pridem ad tot clariſſimas dignitates, qvibus in Sereniſſimi Electoris aula & functus es hactenus hodieqve nunc magna cum laude fungeris, novum qvoqve & ſingulare, ſed tuæ virtuti & maximis meritis debitum decus acceſſerit, ſilere diutius, impietatis partem exiſtimavi. Vides cauſam, *Magnifice & Nobiliſſime Vir*, cur iſtis carminibus tuum illuſtre præſcriberem nomen, ut tibi de ſummis illis & maximis, ſed comparandis tamen virtuti tuæ honoribus, qvos ipſe adeò Cæſar invictiſſimus in te contulit, hoc velut fauſtæ acclamationis genere lætoqve nec, ſtatim fortaſſe evaniturо plauſu ſgratularer, & ſic oſtenderem, qvi univerſum illud, qvod proficere hactenus in literis potui, Tibi Tuorumqve gloriæ devotum velim ac mancipatum. Simulqve oſtenderem, Te unum eſſe, in qvem deinceps omne illud, qvod profeci in literis hactenus, qvantumvis exiguum, & debeam pariter, & conſtituam. Qvocirca ſi paucos hos verſus, qvi nunc iter ad Te affectant, tentaturi, velut exploratores qvidam, aditus, qvibus ſe Muſæ noſtræ inſinuare benevolentiæ tuæ adytis poſſint, trepidi qvidem, & pudoris pariter & reverentiæ pleni affectant viam, admiſeris comiter, egoqve intelligam, non me neqvicqvam

meæ felicitatis ſpem à tuo cumprimis cultu deducere, elaborabo certè, ut noſtræ vigiliæ non adſpernandas prorſus apud poſteros laudes circumdediſſe nomini tuo videantur. Nam qvamvis nos minimè fugiat, qvæ ingenioli noſtri mediocritas ſit, tamen ſi de ſuo favore qvid negavit natura iniqvior, næ à favore & benevolentia tua facilè impetrabo, ut non omninò dedecori ſint, ſi auguſtiſſimum tuum nomen & ſcriptum in fronte, & ipſis intextum operibus, vel apud nepotes conſervent. Et ſpes affulget ſive oratione liberâ magis placeat tuas audire laudes, ſive ludere numeris & ſvavitate carminis tuam memoriam commendare, non abſurda prorſus ad poſteros narraturos. Qvi tamen in eo illuſtrius diffundent lumen, qvò graviùs obſcurare ipſorum gloriam malevoli aggreſſi, neſcii, ſolem & trahere nebulas & mox easdem diſpellere, nec unqvam videri magis pulchrum, qvam ubi nubibus emergit caput! Vale.

CXCIII.

Friderico à Metſch S. P.

DUm gratulaturus accedo ad te, *Vir maxime*, non bonam mentem ſaltem, ſed & verba eximia & minùs vulgarem orationem par erat afferre. Neqve enim ſordidum aliqvid & vile plebejumqve locum habere debet in illa domo, in qvam non niſi illuſtres dignitates intrare ſolent. Sed uti nunc altero tantum inſtructus veniam, qvod nulla fortunæ calamitas auferre poteſt,

poteſt, altero planê deſtitutus, hoc tempus noſtrum facit, qvod ut plura alia abſtulit, ita & ingenium ipſum delet prope. Poëta exiſtimabat carmina non niſi vacuæ mentis opus eſſe, nec qvenqvam egregiè aliqvid canere poſſe, cujus terrore & curis variis hinc indè animus diſtraheretur. Ego non tantùm Muſarum filiis id evenire arbitror, ſed omnibus, qvi literis & chartis inſigne aliqvid commendare inſtituerunt. Mihi ſanè & univerſæ patriæ, & hujus ſeorſim urbis clades, ita perterruit dejecitqve mentem hactenus, & adhuc etiam confudit, ut, qvi me nunqvam diſertum ſatis agnoſcam facile, nunc maximè infantem experiar, cum tantus tamen dicendi campus aperiretur. Ego vero ut ſum lætus omnino atqve adeo triumpho planè, qvod ad dignitates cæteras, qvas tua virtute conſeqvutus ampliſſimas es, hic maximè illuſtris cumulus acceſſerit, allectus in intimum Conſiſtorium Principis, primo loco: ita Patriæ gratulandum arbitror magis, qvàm tibi, qvæ qvo magis indiget bonis artibus, qvibus reſtituatur in locum ſuum veluti, undè dejecta planè ac deturbata miſerè eſt, eò plus præſidii in pietate tua prudentiaq; poſitum habet, qvod antè experta eſt. Cùm ventus ſecundus implet vela diffuſoqve undiqve lumine *cælum*, ut cum Poëta dicam, *ſuaviter ridet*, tùm facile eſt gubernare navem, atq; in portum pervehere: at verò cum unda inhorruit tenebris, & velut prælia qvædam commiſſi invicem exercent venti, magnâ a te non modò atqve conſilio, ſed

laboribus atqve vigiliis opus eſt, uti ſuperes hyemem, & navem conſerves. Cujusmodi tempus cum & tu incideris, jucunda & læta, & qvæ contentione aliqva haud opus habeant magnopere, qvâ ratione unqvam polliceri poſſis? Apud *Euripidem* cum jam *Iphigenia* ducenda ad aras eſſet, ut pro ſalute Græcorum ſuorum immolaretur, ita lugentem mœrentemq; matrem alloqvitur:

Amare, mater, dulce lumen haud meum eſt:
Qvæ me edidiſti non Tibi ſoli ſatam,
Sed patriæ commune & Archivis bonum.

Nempe maximi qviqve & generoſiſſimi animi non tam reſpiciunt ſe, qvàm illud, qvod univerſis prodeſt, magisq; omnium qvam propriam ſolent curare ſalutem, rati ultimam partem demum ſibi ipſis, cæteras amicis patriæq; deberi, pro qva nihil non ſubire certaminis, nihil non laboris ſuſtinere & pulchrum maximè, & ſibi cumprimis proprium ducunt. Et qvum non aliâ mente Reip. noſtræ, qvod felix & fauſtum Deus eſſe jubeat, capeſſas clavum, Sereniſſimo Electori & afflictiſſimæ patriæ potiùs, qvàm tibi, gratulor, cui tantum laborûm curarumqve impendere video: qvamqvàm & tibi qvoqve, qvod tàm præclarum animum partim à meliore natura acceperis, partim diſciplinâ atq; doctrinâ finxeris qvoq; (qvæ etſi virtutem non generat, at perficit atqve confirmat tamen, ac pientiſſimi ducis inſtar gubernat ac regit) uti in tantis publicis turbis atqve incendio iſthoc

com-

communi, Tibi parcendum minimè, qvietoqve & otioſo eſſe licere exiſtimares. Cæterum qvum in præſenti de meo nunc pius eſſe non poſſim, voce acclamo, non vanâ eqvidem, ſed abunde à Deo exaudiendâ: Vale, Patrone, &c.

CXCIV.

Conr. Davidi Büchero S. P.

QUò minus & otii & temporis ſuppetit, eò in reſpondendo brevior ero. Neqve tu non ignoſces nobis, ſed graviora etiam condonabis, ſi qvæ neceſſitas iſtiusmodi inciderit fortè. Feliciter vobis confectum Francofurtanum iter, gratulor, & ut lætitiam ſimilem *Rudolpho* ominer, res poſtulat. Nec erat petenda à vobis venia, qvod non & ipſe auditus ante. Non poteſt non mihi placere ratio, qvæ ejus ſalutis cauſâ ineatur. *Ebelebius* ex præſidiis ſuis huc rediturus hodiernâ veſperâ eſt, aut craſtinô mane. Ne à provincia abſit juſtô plus, qvæ demandata ipſi non ſolum, ſed & ſuſcepta. Et nuper cum ageretur judicium, ipſe præſedit. Occupatum me in præſenti habet commentatio de vita & laudibus *Sennerti*. Illa poſt paucos dies recitanda eſt, celebrandæ memoriæ viri clariſſimi, anniverſariô honore. Ea res facit, ut tibi nunc qvidem vacare minùs poſſim. Præſertim cum ad craſtinum diem *Welleri* qvoqve nuptiæ inſtent. Cui non minus præſtandum officium eſt. Dominam cum liberis officioſè ſalutabis.

CXCV.

Michaëli Schneidero S. P.

S*pectabilis Domine Decane, Vir Clariſſime, & Praſtantiſſime, Domine Collega, & Amice plurimum honorande.* Infelix nuncius tibi advolo, narraturus Rectorem noſtrum *M. Nigrinum* nobis fuiſſe ipſâ mediâ nocte defunctum. Qvare ſi me audire voles, primâ qvaqve occaſione ad Dn. Præſidem *Metſchium* & *Dn.* D. *Hoëp* ſcribes, eosq; prenſabis. Ita qvidem, ut in memoriam revoces, qvam tibi olim de promotione ſpem certam fecerint; diſſimulato illo penitus, qvod de S. nuper mandatum. Prævertendum omnino eſt, & occupandum animos, priusqvam alter idem non tàm inſtituat petere, qvàm jure qvodam poſtulare videatur. Hæc raptim pro eo ſtudio & amore, qvo te non unám ob cauſam complecti cœpi. Deliberabis cum ampliſſimo parente negotium, & maturabis rem, in qvâ celeritate maximè opus. Vale!

CXCVI.

Conr. Davidi Büchero S. P.

Diu tibi, mi *Praſtantiſſime Büchere*, reſponſum debeo; ſed qvod reſpondi nihil hactenùs, partim per occupationes varias, partim per tabellariorum inopiam factum eſt; Itaqve id liberaliter nobis ignoſces. Tuam cauſam egi apud Generoſam Dominam Brandiam diligentèr, & illa nihil diſſimulavit profectò, qvantum

tum tibi debeat:; cæterùm doluit tàm ſe deſtitui facultatibus omnibus, ut & in optimè meritos non ſatis grata eſſe qveat. Interim abunde pollicita eſt, ſe daturam operam, ut petitioni tuæ ſatisfiat: Qvod ſi id factum eſt, benè ſeſe res habet; ſin, auctor tibi ſum; ut eam ipſe alloqvare, & rebus tuis provideas. De fide Generoſiſſimæ Dominæ nihil dubito, & ſi prolixæ voluntati ejus in te par ſuppeditaret fortuna, eſſet profectò, de qvo tibi gratulari merito poſſes. Nunc vides, qvo noſtræ omnium reciderint res & qvo in loco patria communis ſit conſtituta. Interim caſibus patemus aſſiduè: qvi qvidem qvò plures qvotidiè poſſunt incidere, eò magis cautos nos eſſe oportet. Qvapropter navanda tibi opera eſt, ut caveatur tibi, ne ſi qvid generoſæ fœminæ humanitùs accidat, damno tibi poſteà ſit, te nimium eſſe verecundatum. *De Comitivâ Palatinâ* oblitus ſum in literis monere, itaqve per appendicem id agam. Inclinante imperio cœpti ſunt dici *comites*, qvi in illuſtri aliqva dignitate aut circa Imperatorem eſſent, aut etiam provinciis præeſſent vice Imperatoris. Sic Dalmatiarum, ſic aliarum Provinciarnm *Comites ſeu Præſides* legimus: ſed freqventiùs eô nomine inſigniebantur, qvi circa Principem, ut dixi, eumq; comitarentur veluti, vel in *comitatu* ejus [am Hofe/ und bey der Hoffſtadt/ ita enim non rarò iſtud vocabulum mediæ ætatis Scriptoribus pro Aulâ Principis uſurpatur) eſſent. Werden derowegen alle hohe Officirer und Bedienten zu Hofe *Comites* ge-

genennet / ut *Comes Archiatrorum*, der oberſte Leib-Medicus / *Comes Domeſticorum*, *Comes ſacrarum largitionum*; qvemadmodum *Comes ſtabuli*, Stallmeiſter / *Comes Conſiſtorii*, ita & *Comes Palatii* dicebatur. De iſtis Comitibus multa mentio fit apud Hiſtoricos, item in Codice, & apud Caſſiodorum, Symmachum, qvæ nimis longum eſſet enodare. Ipſa dignitas *Comitiva* dicebatur, & eſt inventa hæc res à Conſtantino, ut Euſebius docet *pr. l. IV. de Vita Conſtantini.* Vale!

CXCVII.

Rudolpho à Brandt S.ᵃ P.

Nobiliſſime, Svaviſſimeqve Rudolphe,

QVod diu debebam facere, nec potui tamen per tabellariorum inopiam, nunc facio tandem; non ſanè, ut volo; ſed prout præſentis temporis neceſſitas ſinit: h, e. breviſſimè & perqvam feſtinanter. Germanicum tuum legi, in qvo viciſti illum ipſum ſane, cujus ſeqvutus videre veſtigia. Qvæ paulò immutanda videbantur, mutavi, data abs te ea venia: hâc tamen lege, ut ſi qvas firmiores rationes pro tuis afferre poſſis, libenter ceſſurus ſim. Conceptam de Arnimbii ſummi & incomparabilis viri reditu ſpem decollare, veſtrâ & Friderici imprimis cauſâ doleo. Mihi tamen id negotium erit curæ. Si carmen præſens deſcribere, & ad me mittere velis, ut heroi illi exhibeam, nihil erraveris, niſi fallor. Et mihi na-

naſceretur pulcherrima occaſio de eo ipſo negotio cum eo agendi. Plura per properantiam tabellarii, qvi hoc ipſo momento, qvo & mihi reſpondendum, & ei abeundum fuit, reddidit eas, qvas Bücherus dederat. Qvem plurimâ ſalute imperties interim, donec reſpondeam, qvod prima qvaqve occaſione facturus ſum. Vale, & ſalve cum Generoſa Matre, totaqve familia.

CXCVIII.

Conr. Davidi Büchero S. P.

SEmper mihi gratæ ſunt tuæ literæ, *mi præſtantiſſime Büchere*, neqve nunc venerunt moleſtæ, licet redditæ decumbenti. Putabam initio in epidemicum iſtud febris genus me incidiſſe: nunc video, omnem mali ſentinam à liene fluere, atqve adeò nihil novi me pati: ſperoqve Dei ope intra paucos dies me morbô expliciturum. Invaſit nudius tertius à meridiè, (manè ante Generoſa Domina Brandia me ſalutarat) reciprocantibus incertis vicibus ſe nunc æſtu, nunc horrore. Qvæ res fecit, ut à febri mihi timerem; de qva tamen ut ſecurus eſſe poſſim, indicia non una habeo. De frumento benè feciſtis; & ſi qvid in poſterum advehendum curabitis, rectè ſervabitur. Et ſpatium eſt, ſat magno modio capiendo. De tranſtu militis nihil amplius auditur. Curſor Lipſienſis aliqvid certi afferet: neq; enim dum venit. M. Urſinus non diſceſſurus antè eſt, qvàm gradu collato, velut cum noſtris dicam, finito

actu

actu. Hoc ſcribo interim, dum te docere poſſim, qvis actui ipſi dictus dies: & utrum Urſinus hinc diſceſſurus ſit rheda apud nos conducta. Qvod concepiſti pro mea ſalute votum, id ratum faciat Deus, & tibi largiatur abundè, qvæ nunqvam ab ipſo precari optareq; potes. Vale!

CXCIX.

N. N.

SI unqvam aliàs, nunc profectò inter tot annorum bella triſtiſſima, inter tot immenſas calamitates ac clades, qvibus totus propemodum terrarum orbis exercetur atqve vexatur, patientiâ cumprimis opus eſt, virtutum omnium ferè nobiliſſimâ. Cum enim hominis vita nunqvam profectò dolore perpetuò vacare poſſit, ſi qvantacunqve etiam noſtra felicitas ſit, intercedit ſemper aliqvid, qvod urat ac premat; qvomodo, qvæſo, aliter perferre miſeriam ſuam hominem, cumprimis Chriſtianum, qvàm ſummâ patientiâ, ſi præſertim mutari non poſſit, deceat? Et qvamvis innumeris ſemper caſibus, tot lubricis rerum vicibus nunqvam non ſit expoſita hominum vita, id qvod Menander Comicus præclarè teſtatur: qvi expetere vitam nullo mœrore, nullâ unqvam ſolicitudine interſtinctam, idem exiſtimavit eſſe, ac ſi qvis Deus optet fieri aut emori certè: attamen hæc noſtra præſens ætas in ea incidit tempora, qvibus nihil miſerius, calamitoſiusqve nihil poteſt excogitari. Ecqvid aliud audimus hodiè, ac comperiunt non pauci

ci qvoqve, qvàm motus bellicos truculentiſſimos? Annon miſerabili ævo impliciti ſumus, qvod contra fratres cognatosq; gerendum eſt, qvi ex eadem ſtirpe nati ſunt, eadem terra excepti nobiſcum, eodem cœlo amicti ac tecti: poſthæc iisdem legibus atqve Republica continentur? ut taceam latrocinia, homicidia, inceſtus, adulteria, ſtupra, ſacrilegia; qvæ omnia circumſtrepunt homines hodie, eosqve ſatis divexant. Ut inter incerta fluctuum tempeſtatumqve belli jactamur miſeri? Scilicet ea ſors humana eſt, in qva nihil ratum ac fixum eſt, ubi credulis ludus qvaſi aſſiduè luditur, qvi imis ſumma, turbidis qvieta, felicia miſeris commutat ac miſcet. Itaqve qvoties novum caſum experiri oportet, toties ad eum ſuſtinendum novam adhiberi patientiam atqve animi tolerantiam neceſſe eſt; ſine qva qvis vel temporis momento durare ſub tanta calamitatum mole, aut pati tàm varias rerum vices unqvam poſſet; Nempe leniter ferre qvod premit, id demum ſuperat malum atqve profligat. Et qvis ſummo illi Numini, qvod regit omnia, & unicuiqve fortunam temperat, audet reluctari? Nihil agit, qvi detrectare Dei imperium, & devitáre ſortem, qvam imponit, conatur, convitia Supremo dicendo. Plus efficit, qvi vel inter medias calamitates & fulmina Patrem vocat, qvi tamen affligère qvam maximè videtur.

dis ſtylo Germanica proponunt, qvæ vertant latine. Nam cum nondum aſſveverint Latini ſermonis indoli, qvæ ex auctorum uſu cognoſcenda eſt, cum nihil Latinæ ſupellectilis comparaverint ſibi, exſpirabit omnis ea opera, fruſtraqve ac ſine fructu ſumetur longè. Nam qvod qvis dicat, ex phraſeologiis peti poſſe præſidia, id prorſus inane. Cum enim Germanica ipſa ſæpius non intelligat puer, qvomodo latina inqviret? Optimum itaqve fuerit, pueris, cum aliqvo guſtu latinitatis imbuti ſint, & conſtruendi rationes teneant, Latinam ſententiam aliqvam de Cicerone cumprimis, vel Hiſtoriolam qvoqve, qvo genere maximè delectantur, proponere, ut Germanicè reddant, & deinde rurſus latinè, hæc ratio qvantum utilitatis habeat, cum alibi à nobis dictum ſit, cauſa non eſt, cur plura in eam ſententiam hoc loco proferre velim. In hoc genere cum aliqvantulum exercitatus utriusqve ſermonis Latini & Germanici indolem cognoverit puer, &, qvibus rebus alter ab altero abire ſoleat, nonnihil perſpexerit, de qvo eum qvoqve Magiſter ſedulò admonebit, proponi ipſi Germanici aliqvid poteſt, reddendum Latinè; qvod tamen ita comparatum eſſe debet, ut vix vocabulis ullis aut phraſibus locus ſit, qvàm qvas ex iis, qvæ legit, aut ex Latino vertit hactenus, notavit ac obſervavit: de qvo tamen non opus eſt, ut à Magiſtro commonefiat. Qvod ſi igiter ab ſe his phraſibus ipſisq; vocabulis uſus fuerit, laudandus & confirmandus

dus eſt: ſin aliis & præcipuè non æqvè bonis, admonendus & deducendus eſt ad fontem, unde haurire debuiſſe. Habet hæc ratio hanc utilitatem, qvòd uſum lectionis commonſtret puero, & ad imitationem bonorum auctorum primum aditum pandat. Poſthæc Præceptor peccabit non temerè in emendando, qvod ſolet certè non rarò fieri, partim imperitiâ ipſorum, partim & negligentiâ, dum recta & meliora vel ipſi ignorant, nullis parati Latinitatis copiis, vel inqvirere & ſuperſedent. Qvô neceſſario accidit, ut pro illatinis & barbaris æqvè corrupta ac vitioſa ſubſtituantur; qvod hic verendum non eſt, cum ſtatim in promptu, ac velut in complexu adſint nobis, ex qvibus emendatio vera poſſit peti. Hoc exercitationis genus, qvod primum & rudiorum eſſe debet, conſeqvitur alterum, qvòd in varianda conſtructione conſiſtit, & ad orationis facilitatem ac cultum nos præparet; id ita ſe habet: Dictabitur porrò ſententia aliqva, vel etiam narratio integra, ſive fabula ſit, ſive hiſtoria; hanc ille flectat per omnes caſus, ita qvidem, ut retineatur phraſis, qvantum fieri poterit, & mutetur tantum conſtructio flexioqve verborum. Cujusmodi exemplum in Elementis Rhetoricæ Camerarius dedit, qvod videndum eſt, inde enim tota ratio patere rectius & luculentius poteſt. Poſt hæc ſic exercere diſcipulos utile erit, ut per omnes figuras formasqve dicendi commiſcere ſermonem addiſcant; qvam rationem illi explicant, qvi de verborum copia

pia præceperunt. Hoc autem in brevioribus ſententiis faciendum eſt. Nam in orationibus integris velle ingredi, infiniti laboris eſſet. Itaqve ampliora opera ſemel vel bis convertere ſatis erit, qvæ illorum provincia eſſe debet, qvi Rhetorum dicendi præceptis imbuti ſunt, ut praxin eorum hac ratione & totum compoſitionis artificium eò pleniùs penitiusqve retexendo cognoſcant, & æmulari deinde ſtudeant; iſta enim tractatione commutationeqve omnia & introſpiciuntur penitiùs, & pleniùs cognoſcuntur, qvàm ſolâ & nudâ lectione fieri conſvevit, in qva non raró ſomnus obrepere, & plura ſecurè transmitti ſolent. Publicis Scholis, ubi ob freqventiam diſcipulorum omnia ſcripta corrigi neqveunt, perqvam accommodata videbatur ea ratio, ſi Præceptor ex antiqvis ſcriptoribus, iisqve optimis, certas partes, in qvibus vel pertractetur locus Philoſophicus, vel illuſtris aliqva res geſta exponatur; imò & orationes integras de rebus utilibus noſtrorum qvoqve hominum, ſed qvi purè & ſine affectatione ſcripſerunt & diligenter imitati veteres ſunt, Germanicè vertat, easq; deinceps diſcipulis inſcientibus, unde petitæ ſint, latinitate induendas proponat. Ita qvidem ut de diſpoſitionis tractationisqve ratione ſimul admoneantur, ut videant, qvâ ratione in elaborandis ſimilis argumenti materiis procedere qveant. Hæc autem cùm ſuo ſtylo executi fuerint, demonſtrare ipſis auctores locaqve oportebit, ex qvibus ea deſumta

ſunt,ut inde emendare ſua ipſi poſſint. Multùm etiam proderit verſus & carmina in proſam convertere, & qvæ Poëtarum more prolata ſunt,ad Oratoriam rationem revocare: contrà aliqvando induere numeris, & cultu poëtico exornare, qvæ ſimplici liberâqve oratione expoſita fuerunt, ut utriusqve characteris natura eo melius perſpiciatur. Neqve enim confundendæ formæ dicendi ſunt,& qvod Poëtarum proprium eſt, in oratione liberâ non adhibendum; nihil enim turpius frigidiusqve eſt: In carminibus autem componendis non qvibuslibet phraſibus aut ornamentis utentur temerè, ſed qvæ propria ſunt illi generi, in qvo verſamur. Itaqve ſi in re grandi verſanti Heroicis verſibus utendum, tum dictione figurisqve Virgilianis qræcipuè opus eſſe ſtatuendum eſt. Si componendi Elegi, tùm Ovidius, Tibullus, Propertius vocandi ad partes. In Lyricis autem ſeqvemur Horatium maximè, ubi id decere cumprimis exiſtimabimus, qvod indè petitum expreſſum qve fuerit. Et ſunt in promptu libelli, in qvibus epitheta, phraſes, deſcriptiones, ſimilitudines eorum auctorum collectæ proponuntur. In proſa qvoqve qvocunqve in genere exercitationis verſetur puer, ſi nonnulla ex phraſeologiis, (inter qvas Scori profecto egregia eſt) petenda ſunt, & multa certè erunt, neq; enim in hanc ætatem Latinitatis copia cadere poterat, ut aliunde nihil petendum habeat; id videndum,ne qvælibet admittatur phraſis, ſed optimis & præſtantiſſi-

tiſſimis auctoribus uſurpata, ut ſunt Cæſar, Terentius, Cicero, & pauci alii hujus ætatis temporisq;. Nam ſeqventibus ſeculis & temporibus mirum in modum degeneravit latini ſermonis ratio, & ſicut mores, ita & ſermo qvoqve, ex pudico,honeſto & gravi, in neſcio qvas laſcivias ac pompas inanes ſe mutavit. De qvo Qvintilianus & alii jam olim conqveſti ſunt. Hac ratione adoleſcentes ad puram non modo, ſed ſobriâm qvoqve & ſanam Orationem apti fient, qvæ non modo in eruditorum congreſſibus probatur maximè, ſed & civiles res cumprimis decet. Ita enim veteres civilem ſeu πολιτικὸν charactera deſcribunt, ut Sophiſtico opponant, qvod non tam naturali decore ac fucato & aſcititio cultu ſe oſtentat, & pulchritudinem mentitur magis, qvàm præſtat. Habes, *Collega atqve Amice optime*, qvæ nobis de exercitatione ſtyli, nunc qvidem potiſſimum in chartam conjicienda videbantur, ſi qvid hic deeſt, indè id peti ex iis poterit, qvæ alibi de toto hoc genere aliqvanto pleniùs diſputavimus. Tu boni conſule hoc noſtrum ſtudium, qvi nihil magis laboramus, qvàm ut prodeſſe literis, & tibi ea officia poſſimus præſtare, qvæ maximè grata jucundaqve fore intelligam. Vale!

(o)

INDEX I.

eorum, qvibus

à

BUCHNERO

hæ Epiſtolæ ſcriptæ ſunt.

R*Egi Angliæ* CLXVIII.
*Marco Zuerio Boxhorn.*LXXXVII. *ejus Reſponſoria* LXXXVIII.
Rudolpho à Brand XVI.XX.XXIII. XXIV.XXXI. XXXII. XXXVII. XXXVIII.XLI.XLII.XLVIII.LXII.LXIV.LXV. LXVII.LXIX.LXXI.LXXII. CXVIII.
Conrado Davidi Büchero XXXV.XLV.XLVII. LII. LIII. LIV. LV. LVII. LVIII. LXIII. LXVI. LXVIII. LXX. LXXIV. LXXVIII. CLXXVII. CLXXXI. CXCIV. CXCVI. CXCVIII.
Buchneri Filio X. XVIII. XIX.
Chriſtinæ Sveciæ Reginæ CLXIX.
P. tro Cunæo CLXXVI.
Chriſtiano Daumio XCV. XCVII. C. CI. CII. CXXXV. CXXXVII. CXXXIX. CXLII. CXLIV. CXLV. CXLVII. CLII. CLIV. CLVII. CLX. CLXIII. CLXVI.
Döringio CXCII.

Io-

Iohanni Franco CXII.
Henrico à Friſen XIV. XVII XXI. XXII. XXV. XXVI. XXIX. XXXIII. XXXIV. XXXVI. XXXIX. XLIII. XLVI. L. LVI. LXI. LXXVI. LXXIX. LXXX. LXXXI. LXXXII. LXXXIII. XCI. XCII. XCIII. XCIV. CIV. CV. CVI. CX. CXIII. CXIV. CXV. CXVI. CXX. CXXX.
Carolo à Friſen CXLIX. CLXXI.
Johanni Erneſto Gerhardo VIII.
Nicolao à Gersdorff CIII. CXVII. CXXIV. CXXVIII. CXXXII. CXXXVI. CXLIII.
G. E à Gersdorff CIX
Chriſtiano Gueinzio CLXXIX.
Tobiæ Hauſconio XCIX.
Dan. Heinſio LXXXIX. CLXXXII. CLXXXVII. CLXXXIX. CXC. *Reſponſoria* XC.
Matthiæ Hoë ab Hoënegg. LX. LXXVII.
Academiæ Lipſienſi CLXXV.
Zachariæ Lundio XXVIII.
Iohanni Meiſnero XL. XLIV. XCVIII.
Friderico à Metſch LIX. CXXIX. CLXX. CLXXII. CLXXVIII. CLXXXVI. CXCIII.
Henrico Gebhardo à Miltiz CXXXVIII.
M. Iohanni Sebaſtiano Mitternacht. CLXI.
Gottfrido Oleario. LXXV.
Martino Opitio I. II. III. IV. V. VI. VII. IX. XI. XII. XIII. XV. XXX. LI.
Iohanni Davidi ab Oppel CXIX. CXXI. CXXII. CXXV. CXXVI. CXXVII. CXLI. CL. CLV. CLXIV. CLXV. CLXVII.
Iohanni Ravio XXVII. CLXXIV.
Broder, Pauli CLXXIII.

Joachimo Paſtorio CLXII.
Claudio Salmaſio LXXXV.
Davidi Schelhammero CXI
Michaëli Schneidero CXCV.
Gottfrido Schneidero CXXIIII. CLXXXV.
Abrahamo Schulteto CXL. CXLVII. CLI. CLIII.
Iuſto Sibero CXXXIII. CXLVI. CLVI. CLVIII.
CLIX.
IohanniGeorgio Styrceſio XCVI.
Teſtimonia XL. LXXXIV. CXXIX.
M. Iacobo Thomaſio CVII. CVIII.
Gerhardo Iohanni Voſſio LXXXVI.
Iohanni Sigiſmundo à Zeidler CXVIII. CXXXI
CLXXXIV.
N. LXXIII. CLXIXX. CLXXXIII. CLXXXIV.
CLXXXVIII. CXCIX. CC.

IN-

Index II. Rerum.

ACademia Lugdunenſis 161.165. Wittebergenſis 298
Admonitiones ſunt approbandæ 66
Adonanus Hector 305. ſq. 4.
Adverſa ferenda ſunt 118. 317
Ætas labilis 64. diverſa 245
Aliena laudamus 49. ſq.
Amicitiæ vis 327
Amor cæcus 2. diſertus 3. timidus & ſolicitus 5. 65. 211. 225. conjugalis 100. imperioſus 171. conſtans 288. Ejus divina vis 59
Angliæ ſtatus 296.
Anhaltinum ſodalitium 1.8
Animus generoſus 45: turbatus 144
Apoſtata factus Pontificius 225
Apoſtaſiæ periculum 128
Apoſtaſare 244
Appianus 53
Aqvæ ſangvineæ 219
Aqvis granum 203
Ariſtoteles dicendi Magiſter 56. Politicorum aqvila 123. 136
Arndius Ioſua) 207
Arnimbius Dux 133
Artifex optime monſtrat viam 308
Artium bonarum periculum 241

Augurale quid ſit 196
Aurium judicium 304
Aurum 203
Auctorum lectio 137. ſq. 271
Barthii mores. 6. 7 ſq. 13. *laus* 6. 180. *Obitus cum Epigrammate* 263. ſq.
Beckerus (*Chriſt. Svecicus Leg.*) 108
Bellum cum Cæſare 18. 25. *interdum eſt neceſſarium* 41. *Ejus progreſſus* 233. *gerendi ſcientia requiritur* 41. *ex I. Cæſare diſcitur* 56. *conditio miſera* 58. ſq. 60. 300. 350. *imprimis hodie* 116
Beſelmannus 289
Bibliopolæ lucri cupidi 283. *ære laborant* 293
Bidental 313
Birenclajus 223
Blondelli lucubrationes 226
Boni & mali mixtura 82
Boxhornius Heinſii ſucceſſor, 202. *Ejus laus* 161
Breverus 161. 163.
Buchnerus Prof. Eloqu. factus 22. *Octavum Decanus* 277. 279. *Stipendiatorum Inſpector.* 313. *Filium ſtrenâ donat* 19. *luſit in Aſinum Glogovienſem* 6. *Plautum inſcribit Friſio* 142. *Edit Naudæum* 143. *Theſaurum Fabri* 277. *Lib. de commut rat. dicendi* 277. *Ejus Filii* 227. *Filia mortua* 85. ſq. *Morbi*, 60. 106. 216. 228. 256. 260. *ætas ſenilis.* 260. 262. ſq. 266. 272. 284.
Cæſaris Commentarii 54. 60. ſq. 65. 139. ſq. 357
Cæſius 324
Campanella 206
Caſſandri Conſultatio cum Not. Grotii 152. 154
Caſſius Orat. Buchneri edit 31

Cauſſini (Nic.) ſcripta 212. 227. *obitus* 226. 230
Cato optimus auctor 261. *ejus diſticha* 247
Celeritas adhibenda in bello 18. 22
Chriſtiani Officium 20. 99
Chriſtina Regina Sueciæ 297. *ſq.*
Chriſtus omnibus rebus anteferendus 21
eum noſſe ſumma felicitas 19
Cicero 65. 310. *ſq.* 357. *Ejus Orat. ſelectiores, Officia & Dialogi* 139
Clanneri obitus 82
Clementia laudabilis 297
Comenius 138
Cometa 218
Comites qvi dicti ſint 347
Comitia Dreſda habita 142. 218
Commendatitiæ lit. 79. 109. 111. 134. 147. 158. *ſq.* 162. 201. 317. 331. 337. *ſq.*
Commiſſarii 294
Concii Aulicus 129
Concordia cum Reformatis in Religione qvæſita 14. *ſq.*
Conſcientiæ diſpendium non faciendum 332
Conſilium impii diſturbatum 108
Conſobrini qvi dicantur 278
Conſolatoriæ lit. 234. 335
Converſatio cum eruditis 114. 162. 199
Conventus Principum 14. *doctorum virorum* 235
Concenii Politica 124. 136
Corona triplex Imperatoris 202. *ſq.*
Coſelius (Henr.) Buchneri gener. 201
Cruſii Obitus 82
Crugvius (Iacobus) 215

Crux Chriſtianorum medicina 234
Daniæ ſtatus 219
Daumius verſatus in ſeqvioris ævi ſcriptoribus 259
Ejus Encomium 247
Debitor improbus 293
Dedicat. lit. 341
Democritus qvibus rebus nobilis 39
Demoſthenes 311
Depretiare qvid ſignificet 103
Deus aſſiduè colendus 35. *ſq.* 64. *neminem repellit* 158. *cultum reqvirit* 314. *In ejus voluntate acqvieſcendum* 49. 118. 246
Diogenes Laërtius 61
Dionyſii Longinus & Halicarnaſſ. 311
Diſcipuli Præceptoribus obediant 35. 43. 64
Diſputationes cur ceſſent, 293
Diſſertationes qvomodo ſcribendæ 126. 133
Divitiæ earumq; cupiditas 125. 300
Doctus in ſe divitias habet 66. *Doctorum honor lege præceptus* 273
Domeſtica contemnimus 50
Domeſtica rei cura 182
Ebelebii obitus 213
Eccleſ. arum Græcarum ſtatus unde cognoſcendus 96. *ſq.*
Educatio ſimilis agriculturæ 300
Electori Saxoniæ inſidiæ fiunt 108
Elegantia non ſemper ſpectanda 49
Eloqventiæ ſtudium 81 *convenit nobili* 117. 311
Epictetus 310
Epigrammatum laus 91. 207
Epithalamium 258

Erudi-

Eruditio cedit innocentiæ 19. *divitiæ maxima* 66
Excerpendi auctores 312
Exemplorum uſus 140.174 *in Syntaxi*, 254. *Exemplis non ſemper utendum* 333
Exercitatio 107
Exiſtimatio pecunia tutior 68
Reip. cauſa non amittenda 332
Expectorare 144
Exteros magnifacimus 50
Fabritius cum not. Mitternachtii 287
Fama bona 332. *mala* 68
Fames 175. 328
Feſtinatio non ſatis provida 71
Filius non degener 238. *Filiæ & Filiæ qvid præſtent* 209
Eoreſtus 91
Fortuna qvid ſit. 118. *Ejus varietas* 82. *ferendo ſuperatur* 26
Franci Germanici Imp. autores 202
Franci (*Ioh.*) *Poëmata* 205
Franckenſteinius 264
H.L.B â Friſen laudes 27. *ſq*. 450. *ſq*. 5 *ſq*. 327. *vita* 28. *peregrinationes* 47. 52. *Conjux* 191. *nata filia* 209. *Collegii ſanctioris membrum*, 208. *Parens mortuus*. 281
Frugalitas 254
Calateus de moribus 129
Gallipremones 306. 4.
Gentilium Deorum vocabulis an liceat uti 112
Gerhardi laus 15
Germania bellis exercita 296. *Ejus lingvæ ſplendor* 325. *Poëſis* 68

Gers-

Gersdorffius (Nic.) legatione defungitur 255. ſq.
Giphanius (Rob.) commentator Ariſtotelis 124
Gloriam nil gloriando conſeqvimur 326
Græcarum Eccleſ. ſtatus 96. ſq.
Grammatici Comitibus annumerati 273
Grammondus 213. 227
Gratiarum actio 147. 314
Gratulatio de novo anno 11. 21. 22. 93. 109. 110. 272. 286. 315. *de felicitate publica.* 296. *de honoribus* 235. 341. 342. ſeqq. *de ſponſa* 100. 258. *De nata filiola*, 209. *de felici reditu* 37. 321. *de reverſis nominalibus* 29. 34. *de Obſidionis liberatione* 318
Gotii Encomia 14. 32. 38. 52. *Scripta* 12. 14. 16. 202 *Tragœdia* 69. 74. *nota ad Caſſandri Conſult.* 152 *tranſiit ad Pontificios & obiit* 154
Guazzius de Converſat. civili 129
Guſtavi Adolph. R. S. laudes 298
Ejus ſomnium 18
Hagmeierus (Ioach.) 57
Harsdorfferus 325
Hartvvigius 92
Hauerus pictor. 23
Heinſii laudes 165. 335. 337. 338. *ſcripta* 24. 32. 328. 339. *Obitus.* 6
Helena 255
Heraclitus perpetuo flevit 39
Hiberni patres 138
Hippocratica vincula 250
Hiſtoria juventuti proponenda 139. 353
Hiſtorici legendi 310. *Imaginem noſtrorum temporum ſiſtunt* 55

Hohenlohius Comes 275
Honor literatis debitus 273
Horatius 141. *cum Not. Lambini* 215
Hubertus Herimontius 331
Hubnerus 9. 17.
Humanitatis ſtudia 302
Ianus D. 149. 151
Ignatius 21
Imperatorum Coronatio 202
Indoles bona 238
Informationis puerilis praecepta. 137. *moleſtia & peritia* 302. *ſqq.*
Ingenia non eadem 49. *generoſa arte tractanda* 72. *multa abſtrahuntur à ſtudiis* 154. *Eorum opera immortalia* 226
Invidia 174. 342
Ioſephi Patriarchae nomen mutatum 74
Ioſephi Hiſt. Commentator P. Cunaeus 92. 319. *ſq.*
Iudaei quomodo ferendi 185
Iudicia nimis lenta 294
Iunius de pictura veterum 112
Iurisprudentia laudabilis 148. 293. *Ejus addiſcendae ratio* 308 *ſq.*
Kirchneri obitus 6
Königsmarckius 184
Lambinus in Horatium 215
Latinitas optima 357. *ejus addiſcendae ratio* 137
Laus bonorum 223 *laudatoria* 340
Lectio auctorum quomodo inſtituenda 137. *ſqq.* 271
Legationis munus grave 322
Liberalitas erga Studioſos 80
Libri magni potius quam boni 71. *In Libris pru-*

dentia continetur 51
Lipſia ab obſidione liberata 318
Literarum laus 66. uſus 119. ſq. contemtus 2. 165 periculum 241. ſolatium 54
Literæ affectus teſtes 106.200
Loci Communes 312
Logicæ uſus 308
Luctus mentem turbat 67. ſq. ſilentium amat 175 *modus in eo ſervandus* 86.174. 246.
Magis additur Comparativis 254. ſq.
Magnanimi in perſtringendo videntur maligni 104
Magniloqventia 325
Malevoli 174. 348
Mantuanus 187
Martinizius 116
Martini (Iac.) Politica 124
Metſchius [Frid.) Conſiliarius intimus 343. Legatus in Imp. Comitiis 322. ſq. ejus obitus 240
Metſchii (Bernh. Adolphi) teſtimonium 238
Michnus 116
Milites Chriſtiani barbaris deteriores 54
Mimi Publii aurei 61
Mitternachtii notæ in Fabritium 287
Mixtura boni & mali 82
Moderator juv. 290. Navis 322
Modeſtia amabilis 57.239
Moguntini res 275
Morbi animum qvoqve debilitant 44
Mores hominum perſpiciendi 56. pro cœli aſperitate variant 292
Mors omnibus æqva 230. repentina 213. Liberorum

rum 26. 86. *Matris* 234. *ſqq. Uxoris* 173. 335.
Viri Illuſtris 240. 263.
Muſæ contubernales ſapientiæ 132. *colunt in ſocis locis* 115 *ſolantur in adverſis* 54. *vacuam mentem requirunt* 343
Muſica 270
Muſinari 57
Mutatio ſubita non expedit 175
Mylius Theologus 111
Naſſovienſis comes 128
Naudæi obitus 226
Neceſſitati parendum 114. 119
Nepos (*Corn.*) 139. 140. 269
Nigrinus (*Wilh.*) 26
Nobilis officium 37. 43. 64
Nobilit·*s virtute ſervanda* 66
Novand: *libido* 324
Nüslerus 27
Obtrectatio 174
Ode Pindarica in Onomaſma 29. 34
Officia hominum 48. *Officiperdus* 254. *ſeq.*
Onuphrius Panvinius 204
Opitius in Societ. fructiferam adſcitus 1. *ſq. Hiſtoriographus apud Polonorum Regem* 78. *Ejus laus* 10. *Muſæ ſ. poëmata* 1. 6. 78. *Variarum Lect. liber.* 90. *Iter Polonicum* 22. *Iter ad Oxenſtirnium* 27
Oppelii laus 216
Oratois ſobria unde acquirenda 357
Oratio laus 127
Orphanorum vindex Deus 249
Oſtermannus 305. b.

Ovidius Naſo 141
Papenheimius afflixit Svecos 18
Parentes Dei vicarii 47. *ſq.* 65. *amant liberos* 86
illis obtemperandum 46. 78
Paſtoratum ambientis deſcriptio. 109. *ſq.* 118
Paſtorii Florus Europæo-Germanicus 275
Patria quid debeamus 47. 344
Patronis opus eſt 244
Patientia 214. 350. *ſq.*
Pauperes multi 68. 262. *ſq.*
Pax ingenia exhilarat. 182. *Pacis negotiatio Dreſdæ* 25. 116
Pecunia pietatem corrumpit 214. *propinando inſumitur.* 293. *Ejus morbus Epidemicus* 292
Peregrinationis commoda 45. *incommoda* 46. *ſq.*
Pericula magna mentes contemnunt. 322
Peſtis ſæviens 67. 71. 83. *remittens* 87
Petavii obitus 226
Peritoria 329
Philoſophiæ commendatio 330
Pietas eruditione excellentior, 19. *imitatur Deum* 64. *ejus cura in ſcriptis* 99. 185
Plautus 139. 304
Plinii Panegyricus 311. *Epiſtolarum codex MSC.* 267
Plutarchus 310
Poëſis ſacra ſ. de rebus ſacris 185. *Diverſa* 141. *Germanica* 98. *rhythmica* 185
Poëtæ vates 59. *vacui ſint curis* 343. *Lectio poëtarum utilis* 65. *an Gentilium Deorum vocabulis rectè utantur.* 112. *ſtylus differt ab oratorio* 356
Pompejus (Nic.) 306. *b.*
Pontani (Iſaaci) Diſcuſſiones Hiſt. 74

Præ-

Præcedentiæ lis 273
Præceptoris partes 122. *commendatio* 199. *Prudentia* 72. *peritia* 306. b. *pauci idonei* 300. *ſq. mercedis cupidi* 66. *Mutationes noxiæ* 306. b. *Quale Præceptorum ſeminarium eſſe poſſit* 302
Praxis cum Theoria jungenda 119
Priſcianus 4
Prodigia 219
Puteani laus 226
Quæſtio Magiſtralis 293
Quisque ſuos patimur manes 263
Receptare 122. 146
Rector Miſenenſis 299. *ſqq.*
Refractarii correctio 43
Religionis periculum 128
Respublica maximè ſpectanda 86. 344. *eam in adverſis ſervare artis eſt* 322. *ſq.*
Rhetores 313. *ſq. eorum honor* 273
Rhamnuſia 256
Ritterus Prof. 219
Romanorum militaris virtus 42
Rus præfertur urbi 77. *Ejus amœnitas* 115
Sacerdos ſit moratus 110. 111
Salmaſius obliquus in Heinſium 149. *Ejus encomium* 158 *Exercitationes* 215. *Obitus* 226
Sapientia absque ornamentis placet 49
Scaliger XXX. anno incubuit literis 118
Schiffletii Scripta 226
Schillingius 9
Schottus de Imitatione 53
Schmidii (Eraſmi) obitus 328. *ſcripta* 329
Schmidii Chronicon Zwiccavienſe 286

Schola tantum non diſcendum eſt eſt. 119. *crebræ in eâ mutationes nocent.* 306. *Ejus laboribus pauci idonei* 300. *ſq.*
Socri Phraſeologia 356
Scriptoris officium 113
Scripturæ S. uſus 19
Seceſſus ſtudiis utilis 77
Seldeni mare clauſum 74
Seneca 310
Senectus ſegnes reddit 220. 222 253. 266. *obliviosa* 269. 277. *morbis obnoxia* 260. *metæ proprior* 263
Senibus de fine cogitandum 272
Servius qui ſit Grammaticus 104
Severitate qvandoqve opus eſt 171
Seuſſii obitus 17
Sidnei Arcadia 8
Silentium excuſatur 209
Sleidanus 310
Sobrini qvi dicantur 278
Sol trahit nebulas & diſpellit 342
Solitudo 115
Somnium Guſt. Adolphi R. Sveciæ 18
Sophiſtarum qvi fuerit honor 273
Sophompaneas 74
Spem nunqvam abjicimus 107
Statii qvidam locus emendatur 249. *ex Barthianis in eum doctus aliqvid diſtit* 280
Stoici ridigiſſimi 173
Strena filio à Buchnero miſſa 19
Studiorum fructus 262
Styli exercitatio. 121. 352. *Poëtici & oratorii differentia* 356

Sul-

Sulpitius Severus 140
Symmachus 103
Taciti Encomium 36
Tartarum Hungaricum 211
Tempori inſerviendum 233
Terentius 55. 65. 139. 357
Teſtimonium Acad. G. S. 155. *Metſchii* 238
Theoria ſine praxi nihil eſt 119
Thomaſii (Jac.) laus 197
Thuanus 310
Timoris natura 211
Tituli librorum 231. 233. *ſimpliciſſimi ſint* 325
Torgæ Principes conveniunt 22. *arx capta* 184
Tranſylvanorum mores 291. *ſq.*
Typographi inopes 293
Valerius Maximus viris convenit 140
Variandæ conſtructionis uſus 354
Fl. Vegetii laus 42
Venatoris Gruterianus Pangyricus 23
Venus mollium amorum mater 2
Verderi ſcripta 3. *ſq.* 9
Veritatem reſpicit magnanimus 104
Vertendi uſus 269. 354
Viduarum vindex Deus 249
Virgilius 141
Virtus Dei donum 30. *nil majus* 35. *ſq. absque ornamentis placet* 49. *eripi nequit* 59. *amętur* 127. *quodvis honeſtum connotat* 271
Unruhii (Eraſmi) obitus 99
Voigtius 229. 265. *ſq.*
Voſſii doctrina & merita 159. *ſq. liber de vitiis ſermonis & Gloſſ. latino-barbaris* 289. *Rhetorica* 311

Vota novi anni, vid. Gratulatio
Urbanulus 154
Urbicapi 305. a.
Wackii Prof. abitus 201
Wertheri de perſona Chriſti 17
Zenobia 299

Qvamvis, *Lector benevole*, ſperaverimus, fore, ut hæc Buchnerianarum Epiſtolarum editio nitidè in publicum prodeat, incuriâ tamen typographi ſphalmata irrepſerunt, ita tollenda, ut legatur: pag. 1. lin. 5. *deſideratiſſime* 4, 2. ſi licita 9, 24. ultimas 12, 14 ut & 16, 17. pudet 18, 30. oſtentum: ibid. 23. vidi 42, ult. lapides 47, 15. ad ſumma, 49, ult. qvi, licèt 64, 7 pede 73, 3. par eſt, erit 78, 20. expectandus eventus 82, 8. duo 85, 29. debere tibi 86, 15. tempus ipſum 91, 25. ſed qvis 146, 7. oſculandam parentis 150. penult. *alii*; 151. penult. in adornando 167, 4. ſed repetitâ 195, 21 ſit te o 205, 17 delectabit 312, 13. *Cent. 3.* [*Miſcell.* peculiarem NB. Numeri pag. 305. & 306. his poſiti differentiæ cauſa notantur a, b.